
HARVARD
UNIVERSITY
LIBRARY





QUAESTIONUM EUDOCIANARUM CAPITA QUATUOR

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QUAM

SUMMORUM IN PHILOSOPHIA HONORUM

AUCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN UNIVERSITATE LIPSIENSI

RITE OBTINENDORUM CAUSA

SCRIPSIT


RICHARDUS NITZSCHE

ALTENBURGENSIS.

ALTENBURGI

EX TYPOGRAPHEO AULICO

MDCCCLXVIII.


HARVARD COLLEGE
APR 28 1909
LIBRARY

Caput I.

De vita Eudociae Macrembolitissae.

Quae in libris de historia scriptorum Graecorum nostris vel superioribus temporibus compositis de vita Eudociae narrantur, parva tenuiaque sunt et plerumque haud satis diligenter explorata. Quamquam enim concedendum est fontes [1]) vitae Eudocianae non large fluere, tamen plura, quam quae usque adhuc de hac nobis sunt cognita, ex iis possunt hauriri eaque magis ad historiae veritatem accommodata.

De patre Eudociae vix digna est Schoellii [2]), viri doctissimi sententia, quae ullo verbo attingatur, quippe qui illam *Constantini VIII,* imperatoris Byzantini fuisse dicat filiam. Ille enim imperator, qui ab anno 1025 usque ad annum 1028 regnabat, post mortem tres filias reliquit, quarum natu maximae inditum erat nomen Eudociae. Haec cum vitam rebus divinis sacravisset, post patris obitum imperium coronamque

---

[1]) Fontes, quibus in describenda Eudociae vita usus sum, sunt hice: Michaeli Attaliotae Historia; Joannis Zonarae, Annalium libri XVIII. (lib. XVIII cap. VIII—XVI. et a. l.); Georgii Cedreni, Historiarum Compendium; Joannis Scylitzae Excerpta ex breviario historico (vid. J. Bekkeri edit. Cedreni Vol. II.); Annae Comnenae Alexiadis lib. XV.; Michaeli Glycae Annalium Part. p. 600 sq.; Constantini Manassis Compendium Chronicum; Caroli du Fresne domini du Cange: Familiae Byzantinae; Histoire du Bas-Empire par Monsieur Le Beau, Tome XII. liv. LXXVII—LXXXI.; Eduardi Gibbon, Historia interitus Regni Romani, Part. XIII. cap. XLIII. et Part. XVI. cap. LVII. (edita a C. G. Schreiter, Lps. 1805). Villoisoni autem dissertationem de Eudociae vita et scriptis, quam, ut ipse in praefat. ad anecdot. graec. p. X. dicit, in Academiae Inscriptionum consessu anno 1773 legit, nusquam inveni. Dubito num ea typis descripta sit.

[2]) Cfr. Schoellii histor. litt. graec. (edit. german.) Vol. III. p. 218; eandem sententiam, quam Schoellius hoc loco de patre Eudociae protulit, sine ullo proprio judicio probasse videntur Baehrius, in Erschii et Gruberi encyclop. s. v. Eudociae, et is qui de vita et scriptis illius commentatus est in Pauli lexico, quod dicitur reale.

abnuit et Zoae sorori natu minori concessit. Zoen autem cum anno 1028, quo coronam imperiumque susciperet, jam duodequinquaginta annos natam fuisse auctores[3]) non incerti tradiderint, manifestum est Eudociam natu majorem illo tempore certe feminam quinquagenariam fuisse. Quo comperto quis est, qui arbitretur Eudociam Constantini VIII filiam eandem fuisse atque illam, quae Constantino X conjugi, quem intra annos 1059—1067 solium imperatorum Byzantinorum obtinuisse traditum est, intra hos octo annos quartum filium Constantinum, cognomine Porphyrogenitum peperit? Hunc Schoellii errorem, quo nihil levius esse potest, nemo defendet. Cangius porro, vir historiae Byzantinae haud ignarus, in libro,[4]) quo de familiis Byzantinis egit, aliam de patre Eudociae Macrembolitissae protulit sententiam: statuit enim Eudociam fuisse filiam *Constantini Dalasseni*, viri e nobili genere orti, qui Michaele Paphlagone imperante vixit. Sed hic vir doctus postea ipse intellexit se non recte vidisse Michaeli Pselli historia, quae nondum edita in tenebris Bibliothecae Parisinae latet, inspecta, qua memoriae proditur duas uxores Constantinum X Ducam adhuc privatum duxisse in matrimonium, priorem Dalasseni filiam, alteram Eudociam, cujus familia et genus a Psello non memoratur.[5]) Videmus igitur sententiam, quam Cangius de patre Eudociae habuit, ab ipso refutatam neque obscuram hujus feminae originem apertam esse.

Contigit mihi fortasse, ut investigarem, quis illius fuerit pater. Commemoratur enim a Michaelo Attaliota[6]) *Cerularius quidam patriarcha* a Constantino Monomacho factus[7]) Eudociae avunculus, qui Isaacum Comnenum familiarem Constantini Ducae, mariti ejusdem Eudociae, cum ille Michaelo VI Stratiotico regnum adimere studeret, potestate et auctoritate adjuvit. Porro autem Cedrenus[8]) narrat Cerularium adhuc privatum Michaelo Paphlagone regnante una cum *Joanne quodam Macrembolita*, viro non ignobili certe loco nato aliisque cum civibus conjunctum affectasse regnum. Quo facinore aperto illum et *Joannem Marcrembolitam*, principes hujus seditionis, relegatos bonaque eorum publicata esse. Cum igitur Attaliotae et

---

[3]) Zon. Annal. lib. XVII. 13. p. 232 sq.; ibid. XVII. 28. p. 260 (Cang.); Le Beau, l. c. Tom. XVI. lib. LXXVII p. 370. Gibbon, l. c. Vol. XIII. cap. XLVIII p. 107.

[4]) Cangii famill. Byzant. p. 161 sqq.

[5]) Cfr. Cangii annott. ad Zonar. Vol. II. p. 115.

[6]) Mich. Attaliotae histor. fol. 177 v. (p. 56, 17 Bekk.).

[7]) Cedren. hist. compend. p. 758. (II. 550 Bekk.).

[8]) Cedren. l. c. II. p. 530 Bekk.

Cedreni locis citatis *Eudocia Macrembolitissa neptis* (sororis filia) Cerularii atque idem Cerularius *Joannis cujusdam Macrembolitae socius* in insidiis contra Michaelem Paphlagonem positis nominetur, quid facilius est ad conjiciendum, quam hunc *Joannem Macrembolitam* maritum sororis Cerularii fuisse eumque *patrem Eudociae Macrembolitissae?* Haec de patre Eudociae.

Neque *de juventute* imperatricis certi quidquam scimus: nisi quod e studiis, quae fecisse eam scripta ejus ostendunt, amoreque litterarum, quo femina imperatoria dignitate ornata erat inflammata, possumus conjicere egregia litterarum artiumque institutione, quanta quidem ea aetate erat, illam puellam et virginem esse fructam. Certe eisdem rebus gloriari potuit, quas se tractasse Anna Comnena in praefatione [9]) Alexiadis, quo libro descripsit res ab Alexio I patre suo gestas, dicit: „Equidem Anna Comnena Alexii et Irenes filia in purpura nata atque educata non solum litterarum non rudis, sed etiam Graeci sermonis rationem acri studio amplexa et rhetoricarum exercitationum nequaquam expers sum, et Aristotelis artes Platonisque dialogos diligenter legi ac mentem disciplinarum quadrivio excolui.“ Clariore historiae luce Eudociae vita illustrata est inde a tempore, quo prior conjux ejus imperium est adeptus. Erat enim illa, ut jam antea commemoravimus, *uxor Constantini Ducae*, viri genere nobilissimo et clarissimo orti, qui a. 1059 e manibus Isaaci Comneni adhuc vivi sceptrum coronamque Byzantinam acceperat. Quamquam autem regnum Byzantinum eo tempore, quo Constantinus factus est imperator, fere undique externis hostibus circumdatum semper magno in periculo versabatur, tamen hic minime strenuus erat regni moderator et impiger: neque Turcis in oriente, neque Scythicis gentibus in occidente fines regni vastantibus vexantibusque cum copiis sat multis obstitit. Sed domi morabatur, quamquam ipse indoctus, hominibus doctis sophistisque stipatus, quibus magno studio favebat [10]): cumque ipse doctrinam amaret, dicere solebat „pluris se ducere gloriam doctrina quam imperatoriis virtutibus paratam. [11]) Octavo imperii anno Ducas diuturno et gravi morbo oppressus, cum vitae finem accedere sentiret, regnum uxori suae reliquit et tribus filiis, qui nondum ad eam aetatem pervenerant, ut imperatoris officia suscipere possent. Priusquam autem uxori imperium et tutelam liberorum suorum tradidit, ab ea postu-

---

9) Annae Comn. Alex. praef. (Vol. I. p. 4 Schopen.).
10) Michael. Attaliot. fol. 181. v. p. 76 Bekk.
11) Zonar. VIII. 9.

lavit, ut jurejurando promitteret secundum matrimonium se non esse inituram. Cujus juris jurandi ab illa dati litterae Joanni, cognomine Xiphilino, patriarchae, ut eas custodiret incolumesque conservaret, sunt traditae. Paulo post medio mense Junio anni 1067 Constantinus imperator diem obiit supremum: quo mortuo *Eudocia una cum tribus filiis regnabat.* Sed cum Turci eo audacius atque violentius orientales provincias vexarent, quo minus fortes atque strenui principes rem publicam administrabant,[1] cumque imperatrix intellegeret salutem rei publicae in maximum periculum et extremum paene discrimen adductum iri, nisi summum imperium in manus viri fortis ac belli periti esset venturum, etsi jurejurando vincta erat, tamen alterum maritum et regni tutorem sibi adjungere constituit. Neque diu ei erat quaerendum, sed quasi fortuito vir maxime idoneus ad hanc dignitatem inventus est. *Romanus* enim *Diogenes* erat vir et genere illustrissimus et clarissimus rebus gestis, filius Constantini Diogenis, qui sub Basilio Bulgaroctono et fratre ejus Constantino VIII et Romano III Argyro imperatoribus summis magistratibus et honoribus amplissimis erat perfunctus. Atque item Romanus Diogenes, vir corpore pulcherrimo et fortissimo animo a Constantino X Duca Sardicae dux factus et propter singularia belli merita vestarcharum dignitate ornatus erat. Hic cum compertum haberet Ducam imperatorem esse mortuum, imperio potiri studebat. Quo consilio patefacto imperatrix eum comprehendi jussit et catenis vinctum Byzantium perduci. Quamquam autem ibi laesae majestatis et infidelitatis contra aulam imperatoriam convictus erat, tamen ab imperatrice, cum hunc virum idoneum duceret, qui ipsi et liberis regnum esset conservaturus, crimine solutus in Cappadociam patriam missus est. Sed urbe vix relicta Eudociae jussu revocatus magister et dux copiarum factus est. Quo viro clam ad conjugium electo illa jure jurando illo et syngrapha, quae patriarchae custodienda erat tradita, est impedita, ne illi publice nuberet. Postquam autem litteras illas fraude e manibus patriarchae fallacissimi extorsit et hic etiam senatoribus persuasit, ut concederent alterum Eudociae matrimonium, Diogenem noctu in palatium arcessivit eique clam filiis atque affinibus suis nupsit. Proximo die, qui erat primus anni 1068 Romanus Diogenes publice imperator salutatur. Hanc autem injuriam neque quisquam prohibere conatus est, neque vituperavit, nisi Varangi, regia cohors atque custodes corporis mortui imperatoris, qui pro filiis ejus hoc facto maxime laesis arma ceperunt et imperatrici ejusque novo marito mortem palatioque incendium sunt minitati. Neque seditio eorum prius sedata est, quam

filii prioris imperatoris precibus lacrimisque matris commoti publice declararent, sua voluntate matrem alteri marito nupsisse: qui magis tutor ipsorum atque regni quam imperator foret. Etsi familia Ducana, cujus caput erat Joannes Ducas Caesar, Constantini X frater, hoc tempore nihil contra novum imperatorem uxoremque ejus molita est, tamen hanc injuriam nunquam iis condonaverunt et solum aptum exspectabant tempus poenarum ab utroque petendarum.[12])

Imperio autem accepto *Romanus Diogenes una cum Eudocia regnabat.* Si autem haec putaverat Diogenem, quem capitis damnatum e vinculis et carcere in solio imperatorum posuerat, fore virum facillimum, qui ipsius voluntati obsequeretur, haec spes eam fefellerat, nam Diogenes non erat ita moratus, ut feminae voluntatem subiret. Ita factum est, ut is a conjuge fere alienatus primo statim anno imperii constitueret in Asiam contra Turcos proficisci remque publicam administrandam uxori affinibusque ejus relinquere. In Asiam igitur transgressus primo omne studium atque operam in eo posuit, ut res militares valde neglectas, quantum posset, componeret atque constitueret: quem ad finem magnum collegit exercitum, quem omnibus rebus ornavit atque instruxit. Postquam haec brevi tempore effecit, copias contra Turcos Iberiae imprimis et adjacentes regiones Mesopotamiam, Chaldaeam, Melitenem, Coloneam populatos duxit neque male hoc anno rem gessit hostibus duobus proeliis fugatis. Hieme autem appropinquante copiis in hibernis collocatis ipse victor in urbem rediit neque ibi diu moratus iterum in Asiam revertit, ut denuo barbaris bellum inferret. Neque hoc anno (1069) infeliciter sed magis ancipiti Marte rem gessit. Vere sequentis anni imperator, postquam in regiam redire statuit, Manuelum Comnenum Ducem exercitui Graeco praefectum reliquit, ipse in urbem revertit. Cum autem Manuelus Comnenus juvenili quidem aetate sed adolescens fortissimus et belli peritissimus regis ipsius culpa, qui invidia commotus magnam exercitus partem ab illo deduci jussisset, magnam cladem accepisset, proximo anno (1071)

---

[12]) Michaelus Glycas in Annal. lib. IV. p. 608 Bekk. haec affert verba: *εἶχεν (Διογένης) ἐφέδρȣς τȣ́ς τε προγονȣ̀ς αὐτȣ͂ καὶ Καίσαρα τὸν τȣ͂ προβεβασιλευκότος ἀδελφόν*: quae Joannes Leunclavius, qui ea hoc modo vertit: „in nuptiis adsessores habebat privignos suos et Caesarem cet.“, minime recte intellexit. Cum enim e Michaeli Attal. hist. p. 101 Bekk. sciamus Romanum Diogenem clam filiis cum regina matrimonio conjunctum esse, adjectivum *ἐφέδροι* h. l. significare non potest „adsessores“, vertendum est contra „insidiatores“, ut nos Scylitzae locus docet, qui reperitur p. 822 (Vol. II. p. 667 Bekk.), *κἂν ὅτι μάλιστα συνέδρȣς εἶχε τȣ̀ς προγονȣ̀ς, ἐφέδρȣς δὲ μᾶλλον εἰπεῖν ἀληθέστερον* . . . .

imperator iterum ipse exercitum contra barbaros constituit ducere. Infaustis ominibus e regia egressus hac in expeditione proelio apud urbem, quae *Manzikiert* vocabatur, commisso a militibus suis Manuelo Duca, Joannis Ducae Caesaris filio, auctore destitutus atque relictus a Turcis est captus. Quo nuntio in urbem regiam allato inter senatores primoresque civitatis magnae natae sunt controversiae: aliis imperatrici potestatem restituendam esse censentibus, aliis natu maximo ejus filiorum imperium decernentibus, aliis communem et matri et filiis auctoritatem tribuentibus. Quae controversiae insuper etiam auctae sunt, cum imperatrix litteras a conjuge scriptas accepit, quibus certior est facta illum pace composita a sultano donatum libertate domum esse reversurum. Quo nuntio pervulgato Joannes Ducas Caesar una cum filiis, ac nonnullis senatoribus ascitis, quorum Psellus, Hypertimus, princeps erat et ipse Diogeni inimicissimus, Eudociam, quae a mariti sui partibus stetisse eumque imperatorem et dominum recipere voluisse videtur, e solio dejectam in monasterium, quod ipsa ad fretum Propontidis condiderat, cuique nomen *Piperude*[13]) erat, relegat et *Michaelum, Constantini Ducae filium natu maximum*, imperatorem declarat. Quo facto novus imperator contra Diogenem, quem ne regiis honoribus acciperent, interdixerat civitatibus orientis, *Constantinum*, Joannis Ducae Caesaris filium, misit. Cum autem hic fere nihil contra Diogenem efficere posset, ejus loco *Andronicus*, alter Joannis Ducae filius, dux copiarum orientalium factus est: cui Diogenes in Ciliciae arce, Adana nomine, obsessus se dedit fide accepta, ne oculis privaretur vel morte multaretur. Sed paulo post contra fidem datam Cotyaei in urbe Joannis Caesaris jussu, Michaelo imperatore, ut videtur, insciente et invito[14]), oculis privatus est. Paulo post vulnere ejus barbara crudelitate non bene curato ad Propontidem vitam finivit et in insula, quae Prota vocatur, ab Eudocia, uxore, quae supremis magnifice fungebatur officiis, sepultus est.

Eudocia *sub imperio Michaeli, filii, exsul* erat una cum ceteris liberis neque regiam intrare ei licebat.[15]) Postquam autem ille, qui magis hominum doctorum et scribarum studiis erat deditus, quam aptus, qui rem publicam bene administraret resque belli gerendas curaret, a

---

[13]) Scylitz. p. 843 (Cedren. II. p. 702, Bekk.) hoc monasterium *Πιπερὂς* nominat, Mich. Attal. p. 168. Bekk. *Πιπερὄδη*, Anna Comnen. lib. IX. p. 256 *Κυπερὄδη*: haud scio an *Πιπερὄδη* verum nomen sit ac rectum.

[14]) Vid. Scylitz. hist. p. 845 (Cedren. Vol. II. p. 705. Bekk.).

[15]) Mich. Attal. fol. 235 r. (p. 304. Bekk.).

Nicephoro Botaniate de solio depulsus erat, mater in urbem rediit (anno 1078) et magna cum liberalitate ab hoc tractata est. Neque Botaniates solum Eudociam benevole in urbem recepit, verum etiam in animo habuit, ut nonnulli scriptores narrant[16]), eam in matrimonium ducere. Haec autem, quamquam ab hoc conjugio non erat aliena, tamen, a Leone quodam Cydoniate, monacho, ab hoc consilio revocata est impietate hujuscemodi facti ipsi, quae divino cultui jam sacrata esset, objecta. Etiam *Alexio I Comneno imperante* Eudocia summis honoribus atque maxima benevolentia una cum liberis affecta in urbe versabatur.[17]) Quod ad annum attinet, quo ea mortua sit, nescio, quo testimonio Le Beau sententiam suam confirmet dicens illam anno 1096 diem obiisse supremum.[18])

Erat ea mater *novem liberorum*, quorum quatuor filios *Michaelum, Andronicum*, *Constantinum*, qui erat porphyrogenitus, praeterque eos *unum*, cujus patre jam imperante mortui nomen nobis non traditum est,[19]) tresque filias *Annam*, *Theodoram*, *Zocn* Constantino Ducae peperit, duos filios *Nicephorum* et *Leonem* Romano Diogeni.

Hic paucis verbis, si placet, *mores* imperatricis, cujus vitam nunc descripsimus, attingamus. Non probe ac recte hanc fecisse, quod jure jurando violato a secundis nuptiis non abstinuerit, unusquisque intellegit: neque dominandi cupiditatis eam absolvere possumus. Sed vita hujus feminae quamquam vitiis non libera, tamen etiam virtutibus ornata erat, quam uxorem castissimam, matrem in educandis liberis diligentissimam, imperatricem ad administrandam rem publicam maxime idoneam Scylitzes, scriptor Byzantinus,[20]) fuisse tradidit. Praeterea vero magnam sibi peperit laudem, quod non modo sophistis hominibusque doctis, qui scholis publicis erant praepositi, favebat, verum etiam ipsa et in liberalibus artibus tractandis et in libris componendis summum studium atque operam collocabat. Quod verum esse, liber ille testis est, qui ab Eudocia ipsa conscriptus usque ad nostram aetatem servatus est.

16) Zonar. XVIII. 19. Scylitz. p. 864. (Cedren. Vol. II. p. 738. Bekk.); Annae Comnen. Alex. lib. III. 2. (Vol. I. p. 141. Schopen.)

17) Annae Comnen. Alex. lib. IX. 6. (Vol. I. p. 443 sq. Schopen.)

18) Histoire du Bas-empire par Mons. Be Beau, liv. LXXIX. p. 297.

19) Cfr. Cangii annott. in Zonar. II. pag. 115 et Constant. Manass. compend. chron. vv. 6428 sq. — Scylitz. p. 818. (Cedren. Vol. II. p. 659 Bekk.), Zonar. 18. 9., Glyc. p. IV. p. 606 et 607 Bekk., Joel p. 64 sq. Bekk. filios solum Constantino Ducae superstites commemorant.

20) Scylitz. p. 818. Cedren. Vol. II. p. 659 Bekk.

Caput II.

De scriptis Eudociae.

Sic in commentatione nostra ad *scripta Eudociana* enumeranda et, quantum licebit, dijudicanda pervenimus: priusquam autem ad hanc rem transeamus, de more quodam Eudociae aequalibus proprio nonnulla praemittamus. Solebant enim ea aetate, qua Eudocia vivebat, et postea viri feminaeque nobilissimi vel etiam principes non solum studiis magnopere favere, sed ipsi etiam liberales artes diligenter tractare et in libris pedestri vinctaque oratione conscribendis versari. Qua re inter omnes *familia Ducana* et *Comnenorum* excellebat. Jam *Isaacus Comnenus,* qui ante Constantinum Ducam solium Byzantinum obtinebat, et ipse litteris magnopere erat deditus et monasteriis scholisque publicis favebat [1]: itemque *Constantinus Ducas,* quem laudem boni oratoris pluris habuisse quam fortis imperatoris jam commemoravimus. Deinde *Michaelus Ducas,* Constantini filius, vir imbecillissimus et valde effeminatus a Psello illuditur, quod carmina iambicis et anapaesticis versibus sine arte componebat [2]; hunc autem *Michaelum Psellum* ipsum, Curopalatam, qui sub Ducarum imperio summis fungebatur et honoribus et muneribus, clarissimum virorum doctorum illius temporis fuisse magna docet multitudo librorum ab eo nobis relictorum. Tum constat *Nicephorum Bryennium,* generum Alexii I Comneni ὕλην ἱστορίας congessisse: cum autem morte prohiberetur, quominus consilium rerum ab Alexio gestarum describendarum exsequeretur, hoc inceptum *Anna,* uxor ejus, Alexii I filia libro jam nominato, qui *Alexias* inscribitur, perfecit. Denique etiam frater Annae Comnenae *Isaacus, cognomine Porphyrogenitus,* praeter scholia in Homerum scripsit prosa oratione libellum *de rebus praetermissis ab Homero,* et *characterismata Graecorum Trojanorumque ducum ex Dictye,*

---

[1]) Zonar. XVIII. 7.

[2]) Scylitz. p. 856. (Cedren. Vol. II. p. 725. Bekk.), Glyc. Annal. p. 615. Bekk.

ut ait, *decerpta*[3]). Ut hae autem personae sic *Eudocia* quoque multam diligentiam operamque in libris scribendis posuit, qua in re et prosa et vincta usa est oratione. Quorum scriptorum unum habemus conservatum: de reliquis nihil scimus, nisi, quomodo fuerint inscripta. Sunt scripta Eudociana, quae perierunt, haece:

1. *Ὁ πλοκαμὸς τῆς Ἀριάδνης* i. e. *de cirro Ariadnae*, epicum carmen, quo, ut nomine ejus indicatur, de rebus mythicis atque ad astrologiam spectantibus agebatur.

2. *αἱ τῶν γυναικῶν χρεῖαι*, *de officiis* vel *negotiis feminarum*, quod scriptum pedestri oratione erat compositum, item ut sequentia:

3. *τί δεῖ βασιλίδας ἀσκεῖν*, *quid reginis sit exercendum*, simili argumento atque illud, quod modo attulimus. Hoc scriptum utilissimum anonymus ille vocat, qui notitiam horum scriptorum memoriae prodidit[4]).

4. *περὶ διαίτης τῶν μοναζουσῶν*, *de vitae ratione feminarum divino cultui sacratarum.* Agunt igitur hi libri ab Eudocia prosa oratione scripti, ut facile potest intellegi, de bene et honeste vivendi ratione et in usum feminarum variorum ordinum sunt compositi.[5]) Quartum scriptum anonymus ille, qui, si quid video, monachus erat in aliquo monasterio Proconesi, ipse ante oculos habuit, dicit enim de eo: „*ὅπερ καὶ νῦν καθ' ἡμᾶς ἐν τῷ τῆς Προκονήσου σημνείῳ σώζεται.*“ Nobis vero, quantum adhuc scimus, unus tantum liber ab Eudocia conscriptus servatus est, qui inscribitur: *ἘΥΔΟΚΙΑΣ τῆς Μακρεμβολιτίσσης, Βασιλίδος Κωνσταντινουπόλεως, Ἰωνιά, ἤτοι συναγωγὴ θεῶν κ. τ. λ.* cfr. Anecd. Gr. edit. a Villois. Vol. I. p. 1. Qui liber multas complectitur narrationes fabulares historicasque, antiquitates, notationes ad litterarum historiam spectantes: quae fere omnia femina, quae librum conscripsit, non ipsa composuit, sed plerumque e libris aliorum scriptorum antiquiorum depromsit.

De hoc libro cum mihi propositum sit in sequentibus accuratius disputare, de *historia* ejus nunc nonnulla proferam. Quo anno violarium Eudo-

[3]) Fabric. Bibl. Gr. Vol. I. p. 558, Harless.

[4]) Vide annotationem ad praefationem Violarii adjectam, in Anecdot. gr. a Villois. edit. Vol. I. p. 2.

[5]) Carmen heroicum, quo Eudocia aliqua Augusta victorias per Romanos reportatas a Persis descripsit, et metricae versiones psalmorum, quas Bandinus commemorat in Catal. Codd. Mss. Laurent. I. p. 64, sine dubio Eudociae Theodosii II uxori tribuenda sunt, et Harlessius falsus est, qui ea sub nomine Eudociae Macrembolitissae citat; vide indicem Fabricii Biblioth. scrpt. gr. et ejusdem libri Vol. VIII p. 81.

ciae editum sit, certis argumentis demonstrari potest. Quod usque adhuc in libris de historia litterarum graecarum scriptis[6]) de hac re narratum invenimus, Eudociam librum, postquam regnum ei esset ereptum, conscripsisse, fictio est, qua nullà levior et magis falsa esse potest. Nam hanc opinionem minime esse probandam, vel ex prooemio discere possumus, quod violario est praemissum: ubi cum Eudocia Romanum Diogenem vivum et ex expeditione aliqua victorem reducem alloquatur, cumque deinde collectionem suam perfectam et absolutam esse dicat, luce clarius est illam Diogene vivo et regnante librum perfecisse: i. e. ante annum 1071, quo Diogenes mortuus et Eudocia regno spoliata est. Hoc jam Wyttenbachius (Biblioth. critic. Vol. II. Part. III. pag. 3) probavit: „ipsa (Eudocia), inquit, violetum vivo et imperante Romano composuit, eidemque praemissa praefatione dedicavit.“ Sed etiam longius in definiendo tempore editionis violarii progredi possumus, ut certum annum statuamus, quo hoc sit editum. Vidimus igitur Eudociam librum illum Romano reduci ex expeditione aliqua dicasse. Cum vero nobis jam compertum sit Romanum bis et in fine mensis januarii anni 1069 et vere apparente a 1070 ex expeditionibus contra Turcos factis in urbem regiam rediisse, certe hoc aut illo anno violarium confectum est. Nisi me fallit, hoc *anno 1069* factum est. Commemoratur enim ab Eudocia in praefatione seditio imperatore absente, ut interpres hujus loci narrat[7]), orta et eloquentia viri disertissimi, qui Assorinus nominatur, sedata. Hanc seditionem non puto esse concitatam secundo anno imperii Romani, quo auctoritas ejus victoriis de Turcis reportatis atque rebus in oriente feliciter gestis magnopere firmata esset, sed multo verisimilius est eam ortam esse primo regni ejus anno paulo tempore post, quam ille multis invitis ab Eudocia imperator electus esset. Quae si recte disputata sunt, statuendum est Eudociam violarium edidisse, cum conjux a priore expeditione in Asiam Byzantium rediisset: *i. e. anno 1069.* Quod

---

[6]) Cfr. Schoellii, histor. litt. gr. l. c., Nicolai, hist. litt. gr. p. 627 sq., Erschii et Gruberi, encycl. real. s. v. Eudociae.

[7]) Scholion hic commemoratum hoc est: *Τὴν τȣ̃ Πελτιανȣ̃ στάσιν λέγει, καὶ τὴν τȣ̃ ἀκολάστȣ Μαϊȣμᾶ, αἳ τῇ βασιλείᾳ ἐπιθέμενοι, ἀπόντος τȣ̃ φιλοχρίστȣ βασιλέως, ἃς ὁ σοφώτατος Ἀσσωρῖνος, παρακλήσει τε καὶ προστάξει τῆς ἐλλογιμωτάτης βασιλίδος, ῥητορεύσας, τῆς ἐπιθέσεως κατέπαυσε καὶ τȣ̃ ἐμφυλίȣ πολέμȣ· περὶ ȣ̃ καὶ Παλατιανὸς μνείαν ἐποιήσατο*: de rebus hac annotatione narratis nusquam alibi quidquam reperi, neque personae commemoratae praeter Eudociam et absentem regem Romanum mihi aliunde notae sunt.

attinet ad ea, quae postea huic libro acciderunt, fortuna non secunda ei aspiravit: cujus unum [8]) solum exemplar manuscriptum idque recentis aetatis, quantum scimus, nobis servatum est. Est hic codex Regius Parisinus No. 3057, de quo haec in catalogo Codicum manuscriptorum Graec. Regiae Bibliothecae Paris. Tom. II. p. 603 afferuntur: „Codex chartaceus (recens) olim Colbertinus, quo continetur Eudociae Macrembolitissae, Augustae, quae primum Constantino Ducae, deinde Romano III [9]) cognomine Diogeni nupsit cet.“; et deinde: „Nondum prodiit illud egregium antiquitatis monumentum, dignissimum tamen, quod publicam lucem aspiciat.“ Similibus vero laudibus etiam alii viri docti violarium extulerunt, ut Cangius in notis ad Zonar. Vol. II. p. 116, Montfaucon in palaeographia Graec. p. 298, ubi id dicitur: „Opus singularis eruditionis“, Fabricius, qui in Biblioth. Graec. Tom. VIII p. 55 sqq. Harl. hoc opus „insigne“ vocat. Postquam vero jam diu multi viri docti exoptaverunt, ut liber, de quo agimus, ederetur, denique e bibliothecae tenebris ad lucem revocatus est Joannis Baptistae Casparis d'Ansse de Villoisoni opera, qui Venetiis anno 1781 *Anecdota Graeca e regia Parisiensi et e Veneta S. Marci bibliothecis* edidit, quorum tomus prior *Violarium Eudociae* continet. Quo libro edito cum intellegeretur Eudociam violarium e pluribus aliis libris plerumque nobis servatis conflasse et congessisse, laus, qua id antea celebratum erat, valde deminuta est. Neque tamen hic liber sine aliquo fructu atque utilitate est: etsi enim magna ex parte e scriptis nobis cognitis et saepissime e libris pejoris notae, quam ii sunt, qui nobis adhuc servati sunt, est conscriptus; tamen nonnunquam ad alios libros emendandos criticis est adjumento. Sed de hac re infra amplius dicemus. Cum editor violarii non operam dedisset, ut fontes, unde Eudocia sua hausisset, investigaret, duo viri docti hanc operam susceperunt, quorum alter *Wyttenbachius* vir magna eruditione praeditus cum diligentia et studio requisivit fontes narrationum notationumque, quae sub littera *A* in violario, quod κατὰ στοιχεῖον conscriptum est, adhibentur, alteri vero non tam magna laus tribuenda est *A. C. Meinekio*, qui in Bibliotheca veteris litteraturae et artis (Bibliothek der

---

8) Alterius codicis mentionem fecit Mangey, ad Philonem tom. II. p. 408; nescimus autem, ubi bibliothecarum is liber lateat; cfr. Harless. introd. in hist. ling. gr. II. I. p. 367.

9) Errorem eorum, qui Romanum Diogenem *tertium* dicunt imperatorem, cui nomen erat Romano, etiam Schoellius ejusque pedisequi in libros suos receperunt. Re vera ille *Romanus IV* nominandus est.

alten Litteratur und Kunst) edita a T. C. Tychseno et A. H. L. Heereno part. V et VI non pari litterarum scientia neque tantis librorum subsidiis instructus atque ille fontes articulorum, qui dicuntur, investigavit, qui sub litteris *B—M* habentur. Alii deinde sedes singulorum locorum requirere multaque Eudociae verba et locos vel ipsos emendare vel eorum ope illos, unde desumpta sunt Eudociana, locos corrigere studuerunt[10]. Haec de *historia* Violarii. Nunc de *ratione*, qua Eudocia librum composuerit atque instituerit, nobis erit disputandum.

Eudocia ipsa ad finem praefationis violario praemissae dicit se per litteras (*κατὰ στοιχεῖον*) librum suum esse scripturam: *ἄρξομαι δὲ*, inquit, *ἀπὸ τȣ̃ μύθȣ τῆς Ἀθηνᾶς, ἐπεὶ καὶ ἔφορος σοφίας, ὡς οἱ πάλαι τροπικώτερον ἐφιλοσόφησαν· καὶ τὰ καθεξῆς κατὰ στοιχεῖον ἀπογράψομαι.* Quod consilium ita est secuta, ut articulos, qui littera *A* incipiunt vel potius in quibus ea vox, de qua prae ceteris agitur, hac littera incipit, sub hac littera poneret: sed intra articulos ejusdem litterae haud anxie litterarum ordinem servaret.

Deinde autem magna turba articulorum ab Eudocia collectorum secundum argumentum in duas magnas partes disjungenda est, quarum altera res mythologicas historicasque et antiquitates, altera res ad litterarum historiam referendas complectitur. Has partes femina, quae violarium scripsit, ita separavit, ut singula sub littera priore loco fabulas mythologiae graecae et alia ejus generis collocaret et altero loco vitas veterum scriptorum quasi appendicem adjungeret eo modo, ut sub praescriptionibus historicorum, medicorum, poetarum, rhetorum etc. nomina singulorum virorum doctorum distribueret. Si igitur exempli gratia distributionem articulorum s. litt. *Δ* cadentium consideremus, hunc inveniemus ordinem:

I. Priorem locum obtinent articuli, quibus de rebus mythologicis et cet. agitur.

II. Deinde secuntur articuli ad litterarum historiam spectantes:
   1. Vitae historicorum, 2. medicorum, 3. rhetorum, 4. poetarum, 5. grammaticorum, 6. philosophorum.

---

10) Eo consilio, ut ipse ait, *Harlessius* (cfr. Introduct. in histor. ling. graec. tom. II. part. I. p. 367) scripsit: *Commentationem sive in Eudociae violarium observationum specimen*, *Erlangae* 1785 fol. Similis generis etiam hae sunt commentationes: *Friesemanni*: in Collectaneis criticis, Amstelodami 1786 edit. p. 187 sqq., *Commentatio*, quae in Annalibus Helmstadtiensibus adhibetur mens. Jul. 1789; *Fried. Spitzner*, Curarum critic. in scholia Apollonii Rhodii et Eudociae violar. partic. I. Wittenb. 1819.

Sed singula genera scriptorum non semper hoc ordine, sed sub aliis litteris alio modo ordinata sunt: praeterea autem mox desunt medici mox historici, interdum ne unus quidem scriptorum adjicitur: quod fit sub litteris *H. O. T. Y. Ψ. Ω.*, sub littera *Ξ.* item ne fabulares quidem narrationes, inveniuntur.

Ab hac generali diversam disponendi rationem Eudocia in distribuendis sub litt. *A* allatis articulis secuta est: nam hic narrationes mythologicae in duas partes divisae sunt: inter quas vitae scriptorum ita interpositae sunt, ut tres diversas partes accipiamus: a. priorem partem narrationum mythologicarum, b. vitas, c. alteram partem rerum mythologicarum. Quarum altera quoque pars vitas complectens aliter instituta est atque ceteris sub litteris. Sunt enim item ut narrationes, quae ad mythologiam pertinent, etiam ordines scriptorum diversi generis plerumque in duas partes secreti: quas infra subjiciam:

I. 1. Medici, 2. Histor., 3. Rhetor., 4. Philosoph., 5. Rhetor., 6. Poet., 7. Grammat.

II. 1. Medici, 2. Rhetor., 3. Poetae, 4. Philosoph.

Quamquam harum singularum partium ordo alphabeticus non semper accurate conservatus est, tamen, ut in universum dijudicemus, sine ullo scrupulo possumus contendere: priorem partem articulorum et ad mythologiam et ad vitas referendorum eos circumplecti, qui, si accurate per litteras essent distribuendi, intra verba a litteris *Αβ* usque ad *Αμ* vel *Απ* incipientia ponendi essent. Deinde in priore parte mythologicarum narrationum etiam aliam rem memoratu dignam observare possumus: invenitur enim series triginta trium articulorum, (περὶ Ἀγαμέμνονος usque ad περὶ Ἀμφιδρομίων; vide indices violarii pag. XII. col. 2), fere accuratissimo litterarum ordine disposita: quem ordinem non nisi articulus περὶ Ἀλιτηρίων turbat. Quod attinet ad titulum περὶ Ἀδώνιδος, nescio unde is in hunc indicem irrepserit, cum in contextu ipso nihil de Adonide legamus. Haec autem ordinandorum articulorum ratio non fortuito potest esse orta: sed eam ita explicari posse puto, ut ponamus Eudociam *in colligenda materia violarii aliquem librum ad manum habuisse litterarum ordine compositum.*

Sed mittamus aliquamdiu vitas scriptorum et solos mythologicos articulos consideremus. Quod jam de articulis sub littera *A* allatis commemoravimus, eos non semper accurato litterarum ordine inter se connexos esse, idem in reliqua quoque parte violarii observare possumus: sed quo propius ad finem violarii accedimus, eo minus turbatum litterarum ordinem invenimus. Hic enim ordo in litterarum

Λ et *K* ambitu maxime violatus est, jam minus litterarum *B. Γ. Δ. E.*, raro tantum contra eum peccatum est sub litt. *H. I. M. O. T.*, incolumis litterarum ordo sub litt. *Z. Λ. N. Π. P. Σ. Φ. X. Ψ. Ω* nobis occurrit. Etiam haec violarii instituendi ratio, cum mea quidem sententia non possit caeco casu orta esse, conjecturam a me antea jam prolatam confirmare videtur; quae haec est: Eudociam etiam ad mythologicas narrationes colligendas libro aliquo per litteras scripto usam esse: attamen non hunc solum descripsisse, verum ex aliis etiam fontibus materiam suam hausisse idque maxime in priore parte violarii componenda: quo propius tamen in hoc libro conficiendo ad finem sit progressa, eo pressius studio lexici, quantum fieri posset, amplificandi magis magisque deposito librum litterarum ordine scriptum esse secutam. Quis ille fuerit liber, nondum compertum habeo, neque hoc investigare meum est, qui hac in commentatione solum de scriptorum vitarum fontibus accuratius sum disputaturus. Hoc autem me non prohibeat, quominus enumerem scriptores eorumque scripta, ubi loci violarii Eudociani, qui ad mythologiam pertinent, reperiantur: quae scripta, cum nonnunquam valde dubitari possit, num re vera ab Eudocia usurpata sint non fontes ejus nomino. Hac in re Wyttenbachii et Meinekii commentationes, quas antea jam commemoravi (p. 25) secutus sum. Sunt autem imprimis commentaria a veterum scriptorum interpretibus composita, scripta, quibus de rebus mythologicis agitur, collectiones proverbiorum, lexica, ubi singulos pannos, quibus Eudocia violarium ornavit, reperimus.

1. Quod attinet *ad scholiastarum commentaria*, illa usa est scholiis ad *Apollonii Rhodii Argonautica,* ad *Homeri* carmina, ad scripta *Hesiodi, Pindari, Platonis, Theocriti, Aristophanis, Arati* aliorumque. Multi loci, qui in violeto afferuntur, exstant in commentariis ab *Eustathio ad Iliadem et Odysseam,* ad *Dionysii Periegetae* descriptionem orbis terrarum conscriptis et in *Tzetzarum* libris ad *Hesiodi* carmina et ad *Lycophronis Alexandram* scriptis. Cum tamen hi duo scriptores unum fere saeculum post Eudociae aetatem floruerint, fieri non potest, ut putemus Eudociam e commentariis horum virorum excerpisse: immo vero conjiciendum est eam ex iisdem fontibus, atque Eustathium et Tzetzas, sua hausisse. Idem jam contenderunt censor Violeti in Bibl. crit. Vol. II. part. III. p. 7. et de Tzetzis M. Ch. G. Mueller in praefatione ad Tzetzarum in Lycophronem scholiorum editionem scripta p. XXVIII sqq. Quae ratio inter *Nonnum,* Gregorii Nazianzeni interpretem et violetum intercedat, infra accuratius a nobis explicabitur.

2. Nonnulli loci Eudociani etiam apud *scriptores* nobis occurrunt, *qui res mythologicas* tractaverunt, ut

a. in *Cornuti* libro, quem de natura deorum composuit,

b. *Palaephati*, qui „de incredibilibus“ inscriptus est,

c. in *Philostrati libris*, quorum alter „Heroicus“ alter „Imagines“ inscribitur,

d. in *catasterismis*, qui vocantur, cujus libri Eratosthenes falso nominatur auctor.

3. Nonnulla in *lexicis* reperiuntur, velut

a. in Suidae lexico,

b. in Etymologico Magno,

c. in Harpocrationis lexico rhetorico,

d. in Hesychii, grammatici Alexandrini, lexico,

e. in Pollucis Onomastico;

4. Pauca apud *Diogenianum et Zenobium* paroemiographos.

5. Quin etiam argumenta, quae tragicorum Graecorum fabulis praefixa sunt, Eudocia descripsit; vide s. v. Ἀντιγόνη, Wyttenbach. l. c. p. 29, Eud. p. 78.

Quamquam usque adhuc nondum critica ratione est probatum Eudociam omnibus his scriptis in componendo violario usam esse, tamen ex hoc scriptorum numero colligere possumus eam cum diligentia et studio magno permotam multos libros inspexisse et ex iis excerpsisse neque falsam esse, si in praefatione violarii bibliothecam, unde sua conquisivit, pretiosissimam vocet. Quot autem e fontibus et qua ratione interdum singuli articuli sint compositi, Wyttenbachius l. c. p. 31 sqq. docet exemplo, quo nullum est evidentius magisque perspicuum, singulis partibus narrationis de Achillis genealogia (Eudoc. p. 84—86) ad fontes suos reductis. Quam narrationem illa composuit his locis hoc ordine consutis: 1) Philostr. Her. XIX. 2. 2) Etym. Magn. s. v. Ἀχιλλεύς. 3) Philostr. Icon. II. 2. 4) Philostr. Her. XIX. 2. 5) Philostr. Her. IX. 6) Philostr. Her. XIX. 3. 4. 7) Tzetz. ad Lycophron. 269. 8) Eustath. ad Od. Λ. p. 1626. 9) Schol. Apoll. Rhod. IV. 814. 10—12) Philostr. Her. XIX. 14, 12, 14.

His praemissis non miramur, si Meinekius (l. c. VI. p. 26 et p. 29) in fontibus Eudocianis enumerandis mox exclamat: „Vide quam pannis variis Eudocia sua distinxit:“ mox „Vide lector! cornicem alienis plumis tam varie ornatam!“ — Sed cave ne credas omnes articulos ex tot diversissimis particulis esse compositos; alii enim multo simpliciores sunt: dico prae ceteris notationes, quae ad scriptorum vitas referuntur, de quibus nunc disputabimus.

Caput III.

De Philostrato, Laertio Diogene, Nonno, fontibus Eudociae, agitur.

De fontibus vitarum scriptorum virorumque doctorum, quas Eudocia in lexicon suum recepit, maxime hi scriptores sunt conferendi: *Suidas, Philostratus, Laertius Diogenes, Nonnus*, interpres nonnullarum orationum a Gregorio Nazianzeno habitarum. Attamen, priusquam in disserendo ad Suidam et Nonnum venimus, de quibus fusius et accuratius nobis dicendum erit, de Philostrato et Laertio Diogene disputemus, ubi satis erit rationem, quae inter utrumque et Eudociam intercedat, paucis verbis describere. — *Philostrati vitas sophistarum* Eudocia plerumque in epitomen brevem et incomptam coactas reddit: quae summaria imprimis res ad vitam scriptorum spectantes comprehendunt omissis eorum placitis, sententiis, dictis memoratu dignis, quibus potissimum Philostrati vitae nobis gratae et acceptae sunt. In conscribendis vero his excerptis certum plerumque consilium et ratio ab epitomatore observata est: atque is, qui epitomas fecit — dubitari enim potest, num Eudocia ipsa Philostrati vitas exscripserit — epitomas suas ita instituisse videtur, ut eas ad exemplum vitarum a Suida traditarum accommodaret. Quod ut efficeret, has res praecipue excerpsit, quae infra secuntur: a) nomen scriptoris, b) patriam et artem et nomen patris ejus, c) nomina praeceptorum et discipulorum, d) vitam, mores, aetatem, e) scripta ab eo composita.

Sic factum est, ut saepius ordo, quo Philostrateae vitae sunt institutae, ab eo, qui epitomen illam fecit, valde mutatus sit; cfr. *vitam Apollonii Naucratitis* apud Philostr. vit. soph. II. 39 et in Eudociae viol. p. 66. Vitae autem, quae e Philostrati vit. sophist. sumptae in Eudociae violarium sunt receptae, hae sunt:

1.*	Adriani	Eudoc. p. 50	Philostr. vit. soph. II. 10.
2.	Athenodori	- - 51	- - - II. 14.
3.	Alexandri Peloplatonis	- - 52	- - - II. 5.
4.	Antipatri	- - 57	- - - II. 24.
5.	Apollonii Atheniensis	- - 57	- - - II. 20.
6.	Antiochi	- - 58	- - - II. 4.
7.*	Antiphonis	- - 59	- - - I. 15.
8.*	Aristidis	- - 65	- - - II. 9.
9.	Apollonii Naucratitis	- - 66	- - - II. 19.
10.*	Aristoclis	- - 66	- - - II. 3.
11.*	Aspasii	- - 66	- - - II. 33.
12.*	Gorgiae	- - 100	- - - I. 9.
13.	Damiani	- - 130	- - - II. 23.
14.	Dionysii Milesii	- - 130	- - - I. 22.
15.	Dionis	- - 131	- - - I. 7.
16.	Euodiani	- - 164	- - - II. 16.
17.*	Hermogenis Tarsei	- - 165	- - - II. 7.

Incertum igitur est, utrum Eudocia sua manu Philostratum excerpserit, an epitomen ab alio factam descripserit. Haec sententia paene verisimilior mihi esse videtur; nam si putamus illam ipsam Philostratum ante oculos habuisse, nescimus, quomodo illud sit explicandum, quod vitae Antiochi rhetoris (Eud. p. 58) priorem partem e vita Athenodori, (Phil. vit. soph. II. 14), alteram e vita Antiochi (Phil. vit. soph. II. 4) hausit? Cum vero etiam Athenodori vitam e Philostrato descriptam in Eudociae viol. p. 51 legamus eamque aliis verbis atque in vita Antiochi (Eud. p. 58) narratam, non existimandum est hoc loco casu vel negligentia erratum esse; neque ullam causam habemus, cur putemus Eudociam scientem hanc fraudem commisisse; nam si fontes suos eo modo corrumpere voluisset, sexcenties locum habuisset: quod cum ne semel quidem hoc loco excepto ausa sit, minime verisimile est eam unquam id sibi indulsisse. Quae cum ita sint, hic error non Eudociae sed alii — nescio cui — quem Eudocia secuta est, vitio vertendus est, neque arbitrari possumus illam ipsam vitas Philostrati in epitomen coegisse. Pro hac autem sententia etiam altera causa facit: nam, ut ex ordine vitarum Philostratearum supra adhibitarum intellegere possumus, hae vitae sumptae esse videntur e fonte, qui litterarum ordine erat institutus. Cum vero Eudocia in componendo violario minime dederit operam, ut ubique accuratam litterarum seriem conservaret, hac ipsa re docemur eam non propria manu Philostratum descripsisse. Nonnullarum ex his vitis partes et e Philostrato et ex Suida hau-

stae sunt, quas supra asterisco (*) signavi. Ad Philostrati textum emendandum corrigendumque criticis Eudociae excerpta fere nullam praebent utilitatem, cum ea ubique consentiant cum scripturis codicum tertiae familiae, qui auctoritate et bonitate valde a libris primae et secundae familiae superantur; cfr. Flav. Philostr. vit. soph. edit. a C. L. Kaysero, Heidelb. 1838 p. XVIII. Denique mihi commemorandum est in Eudociae violario usque ad litteram *E* tantum vitas e Philostrato haustas inveniri.

Paulo amplius usque ad litt. Θ eae, quae e vitis philosophorum a *Laertio Diogene* scriptis derivatae sunt, pertinent. Quae sunt haece:

1. Alcmaeonis	Laert. Diog. lib. VIII.	cap. V.	Eudoc. p. 53.
2. Anaxarchi	- - - IX.	- X.	- - 54.
3. Anaxagorae	- - - II.	- III.	- - 54.
4.* Anaximandri	- - - II.	- I.	- - 55.
5.* Anaximenis	- - - III.	- III.	- - 55.
6. Antisthenis	- - - VI.	- I.	- - 55 sq.
7. Arcesilai	- - - IV.	- VI.	- - 70.
8.* Aristippi	- - - II.	- VIII.	- - 71 sq.
9. Archelai	- - - II.	- IV.	- - 73.
10. Anacharsis	- - - I.	- VIII.	- - 73 sq.
11. Archytae	- - - VIII.	- IV.	- - 74.
12.* Biantis	- - - I.	- V.	- - 93 sq.
13. Bionis	- - - IV.	- VII.	- - 94.
14. Glauconis	- - - II.	- XIV.	- - 101.
15. Democriti	- - - IX.	- VII.	- - 134 sq.
16. Demetrii Phalerei	- - - V.	- V.	- - 136.
17. Diodori filii Ameinii	- - - II.	- X. (§. 111 sq.)	- 136.
18. Dionysii Metathemeni	- - - VII.	- IV.	- - 136 sq.
19. Diogenis Cynici	- - - VI.	- II.	- - 138 sq.
20. Epimenidis	- - - I.	- X.	- - 150 sq.
21.* Empedoclis	- - - VIII.	- XII.	- - 169 sq.
22. Epicuri	- - - X.	- I.	- - 172 sqq.
23. Epicharmi	- - - VIII.	- IV.	- - 193.
24. Eudoxi	- - - VIII.	- VIII.	- - 193. sq.
25. Zenonis Musaei et ceterorum Zenonum	- - - IX.	- V.	- - 204 sq.
26.* Thaletis	- - - I.	- I.	- - 228.
27.* Theophrasti	- - - V.	- II.	- - 229.

Praeterea etiam alii duo loci e Laert. Diogen. vitis philosophorum sumpti in violario exstant, quorum alter „Αἰσχῖναι πόροι“ est

inscriptus (Eud. p. 53, Laert. Diog. VIII. V.), alter „περὶ Διογένους τοῦ φυσικοῦ" (Eudoc. p. 137 sq., Laert. Diog. VI. II. 81 et IX. IX. 57).

De his vitis fere idem dicendum est atque de iis, quae e Philostrato sunt haustae. Sed vitae e Laertio Diogene sumptae interdum magis copiosae et uberiores sunt, quam illae esse solent, e. g. vita Diogenis Cynici et Epicuri. In vita Epicuri vel duas epistolas ab hoc philosopho scriptas reperimus. Etiam harum vitarum nonnullae partim e Laertio Diogene partim e Suida descriptae sunt: quas iterum asteriscis (*) notavi. Quamquam ne haec quidem excerpta criticis ullum usum praebent, tamen dignum est memoratu scripturas horum excerptorum magnopere cum editione principe Laertii Diogenis Basiliae a. 1533 edita consentire. Quae similitudo scripturarum tanta est et tam manifesta, ut bono jure contendere possimus excerpta Eudociana ex libro, quo nullus sit fonti editionis Frobenianae similior, esse sumpta. Haec mihi de Philostrato et Laertio Diogene fontibus Eudociae erant dicenda: nunc de Nonno, qui nonnullas orationes a Gregorio Nazianzeno litteris mandatas commentariis suis illustravit, agendum erit.

De vita aetateque *Nonni*, abbatis cognominati, quem diversum esse a Nonno poeta Ric. Bentlejus in proemio ad Censuram Caroli Boyle, p. 160 sq. demonstravit (cfr. Ric. Bentleji opuscul. phil. a Lennepio edit. Lps. 1781), nihil certi nobis est traditum. Possidemus autem commentarios ad explicandas *quatuor Gregorii Nazianzeni orationes* (funebrem in laudem Basilii, duas in Julianum, quartam in sancta lumina) ab eo contextos et sic inscriptos: συναγωγὴ καὶ ἐξήγησις, ὧν ἐμνήσθη ἱστοριῶν ὁ ἐν ἁγίοις πατὴρ ἡμῶν Γρηγόριος ἐν τῷ εἰς τὸν μέγαν Βασίλειον ἐπιταφίῳ λόγῳ, — ἐν τῷ πρώτῳ καὶ δευτέρῳ στηλευτικῷ, — ἐν τῷ εἰς τὰ ἅγια φῶτα λόγῳ.[1]) Multae narrationes, quae his in Nonni commentariis exstant, etiam in Eudociae violario nobis occurrunt maxime in mythologica ejus parte: hic tamen solos eos locos subjiciam, qui in scriptorum vitis Eudociae e Nonno, ut primo aspectu videtur, hausti inveniuntur: horum locorum autem plerique etiam apud *Cosmam Hierosolymitanum*, qui vocatur Philogregorius, alium Gregorii interpretem, habentur, cujus commentarium Angel. Mai

---

[1]) Horum commentariorum primum, sed non integrum (viginti tantum narrationes) ex codd. duobus Monacensibus no. 182 et 163 edidit Fr. Creuzerus in Melet. crit. I. p. 59—97, secundum ex cod. Vindobon. no. 79. Ric. Montague cum Gregorii invectivis, Eton. 1610. p. 127—172, primi denique et tertii commentarii fragmenta e codic. Vaticano edidit Angel. Mai, Spicileg. Roman. II. 2. p. 374—391. Cfr. Scriptores poeticae historiae ab Ant. Westermanno edit. p. XIX. sq.

in Spicileg. Roman. II. 2. p. 1—373 in lucem emisit. Sunt igitur hi loci Eudociae et Nonno communes:

s. v. Ἀνάξαρχος, verba: ἔτος συσχεθεὶς — λόγε ποιεῖσθαι; Eudoc. p. 54; Nonnus ad steleut. I. 15, pag. 132 Montac.; Cosm. ad carm. 79, Spicil. Rom. II. p. 206.

s. v. Διογένης ὁ Κυνικός: 1) vv.: κυνικὸς δὲ ἤκεσεν — πολὺ ἔλεγχεν; Eud. p. 138; Nonn. ad steleut. I, nar. 21. l. c. p. 135 et 136; Cosm. ad carm. 119 l. c. p. 241. 2) vv. πίθον ἔσχεν οἰκίαν — ὁ δὲ εἶπε; Eudoc. p. 139; Nonn. l. c. Cosm. l. c. p. 233.

s. v. Ἐμπεδοκλῆς vv.: καὶ γὰρ ὁ θεὸς τῶν πάντων — κενοδοξίας et infra quae de Trophonio, Aristio, Empedotimo narrantur vv.: ἔτω δὲ καὶ οἱ περὶ Τροφώνιον — τὸ ἐν Δελφοῖς ἱερὸν τε Ἀπόλλωνος; Eudoc. p. 171; Nonn. l. c. p. 136; Cosm. ad carm. 64, l. c. p. 183 sq.

s. v. Ἐπίκερος, vv.: ἔτος τέλος παντὸς ἀγ. — τέτο δέ ἐστιν ὁ θεός; Eud. p. 172 et 173; Nonn. l. c. nar. 27. p. 137; Cosm. ad carm. 119 l. c. p. 259.

s. v. Ἐπίκτητος, vv.: ἔτος ἐδέθη ὑπὸ τυράννε — ἀλλ' ἡ ψυχή; Eud. p. 172; Nonn. invect. I. nar. 14. p. 132; Cosm. ad carm. 79. p. 206.

s. v. Ζήνων Τελευταγόρε vv.: ἔτος πλέων — τῇ νηΐ; Eudoc. p. 204; Nonn. l. c. nar. 29. p. 137.

s. v. Κλεάνθης vv.: ἔν τινι φρέατι — καρτερικός; Eud. p. 272; Nonn. l. c. nar. 35. p. 139; Cosm. ad carm. 119. p. 236.

s. v. Κλεόμβροτος: totam narrationem de Cleombroto Eudocia p. 272 sq. e commentario ad Gregorii Naz. scripta contexto exscripsit; cfr. Nonn. l. c. narr. 16. p. 132; Cosm. ad carm. 119. p. 257.

s. v. Κράτης Ἀσκώνδε: verba Κράτης Ἀσκώνδε Θηβαῖος μαθητὴς Διογένες καὶ Βρύσωνος τε Ἀχαιε apud Suidam s. v., reliqua autem usque ad finem narrationis de Cratete Ascondae filio reperiuntur apud Nonnum, l. c. nar. 28. p. 137 et Cosm. ad carm. 119. p. 233.

s. v. Πυθαγόρας, vv.: ἔτος δι' αἰνιγμάτων — μὴ δεῖν ἐσθίειν (infinit. δεῖν Eudocia omisit, qui adjiciatur necesse est); Eud. p. 368; Nonn. l. c. nar. 17. p. 132 sq.; Cosm. hist. nar. l. c. p. 309.

s. v. Σόλων, vv.: αἰτέμενος δὲ νομοθετῆσαι .... usque ad finem articuli; Eudoc. p. 387 sq. Nonn. l. c. nar. 21. p. 133 sq.; Cosm. ad carm. 15. p. 98.

s. v. Σωκράτης Eudoc. p. 389 sq. (cfr. Cosm. ad carm. 119. p. 236). Haec narratio e tribus diversis fontibus hausta hoc modo est composita:

1) vv. Σωκράτης — παίδευσιν sunt Nonni l. c. nar. 13. p. 132 item

verba sequentia ἔτος περιῆγε τὴν ἀγορὰν — ἔρωτα; Nonn. l. c. nar. 22. p. 134. Verba inter hos locos interjecta Πλάτωνος διδάσκαλος fortasse ipsius sunt Eudociae.

2) Quae secuntur: τἕτον ὡς δαιμόνα — καὶ Μέλιτος iterum apud Nonn. l. c. nar. 13. p. 132 habentur.

3. vv. ὧν μέμνηται καὶ Ἀριστοφάνης — τὸν φανὸν ex scholiis ad Aristoph. nub. v. 828 descripta sunt. Quo loco Eudocia scripturas ejus editionis scholiorum Aristophaneorum, quae Aldina vocatur, fere semper praebet, velut verba ἀντὶ τἕ ἀσεβῆ (schol. ὁ ἀσεβής) — τὰ Ἐλευσίνια solum in Aldina exstant.

4. Verbis ἀλλ' ἐπὶ τὸ προκείμενον ἐπανέλθωμεν Eudocia ad Nonni narrationem revertitur.

5. Verba in fine hujus vitae collocata, quae de scriptis Socratis agunt, apud Suidam s. v. (lib. II. p. 842 et 843 Bernh.) reperiuntur.

Hi loci e scholiis ad Gregorium Nazianzenum derivati praeter narrationem de Cleombroto intra vitas e Suida aut Diogene Laertio excerptas interpositi, vel ad eas adjecti sunt. Si ad rationem scribendi, ad scripturarum diversitatem, ad ordinem verborum spectamus, Eudocia plerumque magnopere cum Nonno congruit, quo factum est, ut viri docti, qui hac in re versati sunt, velut Wyttenbachius, Bibl. crit. Vol. II. Part. III. p. 7 et Vol. III. Part. IV. pag. 58; Bastius ad Greg. Corinth. p. 74, p. 536; Creuzerus Melet. Part. I. p. 60 annot. 4; Westermannus, Mythogr. praefat. p. XX. arbitrarentur illam Nonnum descripsisse. Sed tamen huic opinioni maxime obstare mihi videtur, quod Eudocia in narrationibus, quae et apud Cosmam et apud Nonnum reperiuntur, nonnullis locis magis cum hoc quam cum illo consentit, ut in vita Solonis supra commemorata. Si enim consideraverimus, quam diverso modo unusquisque horum trium scriptorum vitam illam tradiderit, facile intellegemus Eudociam multo magis cum Cosma quam cum Nonno congruere. Nec solum ejusmodi loci reperiuntur, ubi illa omnino magis cum Cosma facit, verum etiam alii, ubi, quamquam majore ex parte longius a Cosma abest quam a Nonno, singulis tamen in scripturis cum hoc consentit. Cujus generis multa inveniuntur exempla: veluti in vita *Epicteti* haec apud Eudociam legimus verba ὑπὸ τἕ τυράννε Μακεδόνος, in Cosmae commentario ὑπὸ τἕ τυράννε τἕ Λακεδαίμονος, Nonnus autem nihil nisi ὑ. τ. τυράννε scripsit; deinde apud Eudoc. et Cosm. ἤρετο legimus, apud Nonnum ἠρώτα; in vita *Cleombroti*: ἐντυχὼν ἔτος Cosm. et Eudoc., a Nonno ἔτος omissum est; in vita *Epicuri* in Eudociae violario haec verba inveniuntur: καὶ οἱ μὲν ἐξηγηταὶ τῶν φιλοσόφων λέγεσιν τέλος αὐτὸν τίθεσθαι τὴν

ἡδονὴν, ὃ τὴν ἀκάθαρτον, ἀλλὰ τὴν φ. κ. τ. λ; apud Cosmam καὶ οἱ μὲν νέοι ἐξηγηταί φασιν ὃ τὴν ἀκάθαρτον ἀλλὰ τὴν φ. κ. Nonnus plane praetermittit verba: καὶ οἱ μὲν ἐξηγηταὶ ... αὐτὸν τίθεσθαι.[2]) Cum igitur appareat, Eudociam mox cum Nonno mox cum Cosma magis congruere tantum abest, ut sententiam probem eorum, qui ab hac Nonnum exscriptum esse opinantur, ut putem *eam ex eodem fonte sua sumpsisse, quo et Cosmas et Nonnus usi sint*, eumque fontem *vetustiores commentarios ad scripta Gregorii Nazianzeni contextos* fuisse. Nam Eudociam scholia ante oculos habuisse, unde sua describeret, plus quam semel propriis ex verbis ejus possumus colligere. Si enim in narratione de Gyge ab Eudocia p. 99 prolata, ut exemplo utar, haec verba legimus: εὗρεν (ὁ Γύγης).... δακτύλιον. ὃ δακτυλίε ἡ κεφαλὴ στρεπτὴ ἦν, καὶ ἐστρέφετο· ἥτις σφενδόνη ἐκαλεῖτο et loco ultimorum verborum apud Nonn. ad steleut. I. nar. 55. p. 145 sq. et apud Cosm. ad carm. 152 l. c. p. 304 occurrunt nobis verba: ἥντινα κεφαλὴν καλεῖ σφενδόνην ὁ θεῖος Γρεγόριος, facillimum est ad intellegendum, illam eadem legisse ac Nonnum et Cosmam; cumque nomen Gregorii afferre noluerit, verbis fontis contractis solum scripsisse ἥτις σφενδόνη ἐκαλεῖτο. Alterum exemplum simillimum praebent haec Eudociae verba: διὸ καὶ πατὴρ μισότεκνος λέγεται ὁ Κρόνος Eud. p. 195. v. 5 sq. ,quorum in loco apud Nonn. ad orat. in sancta lumina (Mai, Spicil. Rom. II. p. 381) habentur verba: νῦν ὃν πατέρα μὲν μισότεκνον λέγει (subaudiendus est ὁ Γρηγόριος) τὸν Κρόνον (cfr. sequentia hujus loci verba).

Praeterea vero pro sententia, quam proposui, Eudociam non Nonni commentaria ipsa exscripsisse, altera quoque causa facit. Nonnunquam enim Eudociae narrationes uberiores atque verbosiores sunt quam Nonni et locis quidem, ubi et illa et hic sine dubio eundem fontem secuti sunt, velut his: περὶ Πολυξένης Eud. p. 341., Nonn. invect. 1. nar. 8. p. 131; περὶ τῶν φάλλων Eud. p. 412. Nonn. l. c. nar. 37 p. 139 sq. περὶ τȣ̃ λέοντος τ. ε. ὀρ. Eud. p. 276; Nonn. II. 1. p. 160, περὶ τȣ̃ Ὠρίωνος Eud. p. 441. Nonn. ad or. funebr. in Basilium Magnum, Creuz. Mel. I. p. 69 sq. Quamquam igitur, ut vidimus, Nonnum non

---

[2]) Numerus vero ejusmodi exemplorum ex narrationibus, quibus de mythis Graecis agitur, magnopere potest augeri, e. g. hisce e locis: περὶ τῶν φάλλων Eud. p. 412; Nonn. ad steleut. I. nar. 37. p. 139 sq., Cosm. ad carm. 119, Spicil. Rom. II. p. 261 sq.; περὶ τῶν ἀπύγων καὶ μελαμπύγων Eud. p. 47; Nonn. l. c. nar. 39. p. 140; Cosm. ad carm. 102. p. 225 sq. περὶ τȣ̃ τῆς Βερενίκης πλοκάμȣ Eud. p. 90; Nonn. et Cosm. locc. citt. et περὶ τȣ̃ κατηστερισθέντος ταύρȣ Eud. p. 391; Nonn. et Cosm. locc. citt.; denique περὶ τȣ̃ κολοιȣ̃ κ. τ. π. αὐ. Eudoc. p. 257 sq. Nonn. ad steleut. I. nar. 63 p. 147; Cosm. ad carm. 65. p. 187. sq.

possumus fontem Eudociae nominare, tamen saepissime verba Eudociana ad illius normam et auctoritatem, qui, si quid video, libris melioribus atque vetustioribus est usus, sunt corrigenda et emendanda.

Postquam igitur egimus de ratione, quae inter Nonnum et Eudociam intercedat, nobis antequam ad Suidam transeamus, de paucis dicendum est vitis, quae neque in ullo fontium jam tractatorum neque apud hunc reperiuntur; quae sunt haece:

1. *Apollonidis*, qui etiam Orapius vocatur, historici, Eud. p. 49. Hic locus nobis apud Theophylum Antiochenum in libro ad Autolycum inscripto II. 6 (p. 92 edit. a. J. Ch. Wolfio, Hamb. 1724) occurrit (cfr. Wyttenbach. l. c. p. 20). Quamquam, cum nulla alia argumenta mihi nota sint, quibus Eudocia illud Theophyli scriptum cognovisse probetur, hunc illius fontem esse non audeo contendere.

2. *Alexandri Myndii, historici*, Eud. p. 50. Brevis nota *Ἀλέξανδρος ὁ Μύνδιος ἱστορικός· διαλαμβάνει περὶ Γοργόνος* fortasse a femina ipsa, quae violarium conscripsit, est composita.

3. *Aristaeneti rhetoris*, Eud. p. 67. Recte monet Wyttenbachius l. c. p. 26 hunc locum ad Aristaenetum illum referendum esse, cujus Fabricius excitet memoriam (Bibl. gr. I. p. 433) ex uno Nonno II. 25 (Wyttenb. falso I. 15): *ἀνέγνων δὲ παρὰ Ἀρισταινέτῳ τῷ ἱστορικῷ, ὅστις ἱστορεῖ, ὅτι ἑορτάζουσιν Αἰγύπτιοι τῷ Νείλῳ ἑορτὴν πανδημεὶ πάντες καὶ πᾶσαι ἐρχόμενοι περὶ τὰ θέατρα τῶν πόλεων κ. τ. λ.* Cum autem hoc Nonni loco de diebus festis in Nili honorem institutis narretur, facile conjici potest virum doctum aliquem ad hunc locum explicandum scholion, quo doceret, quis fuerit Aristaenetus historicus, apposuisse, quod Eudocia in violarium inde receperit: nisi magis placet putare ab ipsa Eudocia, cum ea ex hoc Gregorii Nazianzeni interpretis loco conjicere posset Aristaenetum de Aegyptiorum historia et de Nili beneficiis scripsisse, narrationem esse compositam, quam in violario s. v. *Ἀριστάινετος* legamus.

4. *Aristandri vatis*, Sceuthi filii, Eud. p. 75. Priorem hujus articuli partem *Ἀρίστανδρος — βιβλία δέκα* alibi non inveni, altera autem exstat apud Eustathium ad Dionys. Perieg. 747.

5. *Dictyis Cretensis Gnosii* Eud. p. 128. Quamquam parva hujus narrationis pars *εὑρέθη ἐπὶ Κλαυδίου — ἀνεῳχθέντος· ὧν ἐνὶ εὑρέτο* (scribe Suidae auctoritatem sequens: *ὧν ἐν ἑνὶ* aut *ἐν ἑνὶ εὑρέτο . . .*) aliis quidem verbis expressa apud Suidam reperitur, tamen manifestum est Eudociae narrationem non e Suidae lexico, ut nobis traditum est, sed e ditiore fonte fluxisse. Quodsi hic Eudociae articulus, ut Bernhardyus Commentatt. de Suidae lex. cap. I. p. XXXIV. monet, una

cum excerptis de Epimenide, de Rhiano, quae cum Eudocia conspirant, in libro Parisino n. 2600 sub inscriptione ἐκ τῦ Σύδα exstat, hic aut error scribae alicujus est, aut nobis putandum librarium corrupto Suidae libro usum esse.

6. *Demetrii Iliei*, historici Eud. p. 128.

7. *Doridis, historici*, Eud. p. 129.

8. *Diagorae Melii, philosophi*; Eud. p. 137. Eudocia hoc in loco conscribendo eodem fonte usa est, atque Suidas, schol. in Aristophan. Av. v. 1073 (Dind.). Multo autem pressius et accuratius cum scholiasta congruit, quam Suidas; velut in verbis, ὥς φησι Μελάνθης (scribe Μελάνδιος, ut schol.) ἐν τῷ περὶ μυστηρίων· ὅτω μὲν ἐκήρυξαν, quae Suidas omisit: deinde adverbium ὅτως a Suida ante verbum ηὐτελίζεν positum deest in violario et apud interpretem Aristophanis; denique verba scholiastae, quae apud Eudociam post vv. μυεῖσθαι ἀποτρέπων secuntur, iterum apud Suidam omnia absunt. Praeter haec commemorandum est, quae ad finem ab Eudocia adjecta et ad eundem Diagoram referenda sint: ἔστι καὶ ἕτερος Διάγορας — χλευαζομένυ, neque apud Suidam neque in Aristophanis commentariis legi: quamquam haec annotatio e fonte non vili sumpta esse videtur Aristarchi auctoritate firmata. Etiam hoc loco, quod jam supra commemoravimus cfr. p. 23, Eudocia scripturis suis valde cum scholiis Aristophanis, ut ab Aldo edita sunt, congruit, quod aliis quoque animadverti potest locis, ubi illa sua e commentariis ad Aristophanis fabulas contextis hausit.

9. *Histiaei Samii*, qui ab Eudocia p. 245 in philosophorum numerum refertur. Etsi primus fons hujus narrationis vocari potest Herodoti lib. V, cap. 35, 105—107; VI, 1 sq., tamen non putandum est illam ipsam hunc exscripsisse.

10. *Nicandri, medici et poëtae*, Eud. p. 308. In violario non vitam Nicandri, quae in Suidae lexico habetur, reperimus, sed excerptum vitae hujus poetae, quae plerisque editionibus poematum a Nicandro factorum praefixa est, cfr. J. G. Schneideri edition. Theriac. Lps. 1816; Westermanni biogr. gr. min. p. 61.

11. *Nonni Panopolitae*, Eud. p. 311.

12. *Plotini Philosophi*, Eud. p. 363.

Haec vita Eudociana cum vita Plotoni a Porphyrio scripta accuratius comparata perspicue declarat se inde exortam esse. Nam primum omnia, quae Eudocia de Plotino narrat, ex hac vita derivari potuerunt, deinde et verba πολλοὶ ἄνδρες καὶ γυναῖκες — καὶ θείῳ φύλακι, Eud. l. c. v. 14—17 apud Porphyrium vit. Plotin. §. 9 (Westerm.) et verba sequentia σύντονος δὲ γέγονεν — ὂ μυσικόν τι θεώρημα

Eud. l. c. 21—26, apud Porphyrium l. c. §. 14, necnon verba ad finem narr. Eudoc. allata τελευτῶντος δὲ τȣ̃ Πλωτίνȣ — βασιλείας πληρȣμένȣ l. c. §. 2 fere αὐτολεξεὶ leguntur. Quae apud Suidam de hoc philosopho proferuntur, Eudocia contempsit.

Ut jam excerpta e commentariis ad Gregorii Naz. scripta compositis nobis demonstrarunt, ita etiam harum vitarum maxima pars nos docet Eudociam praeter fontes, unde majores vitarum suarum partes sumpsit, non sprevisse aliis quoque uti, e quibus vel singulas vitas vel singulos locos ad aliquam vitam referendos excerpere posset: hosque locos in violarium inseruisse. Nam, licet solum de Aristandro, Diagora, Nicandro, Plotino accuratius fontes, e quibus vitae eorum ortae sint, definire nobis contigerit, bona tamen fide possumus contendere etiam vitas Apollonidis, Alexandri Myndii, Aristaeneti, Demetrii Iliei, quippe quae collocatae sint extra eum litterarum ordinem [3]), quo vitae ex eo fonte haustae, unde Eudocia maximam vitarum suarum derivavit partem, sint dispositae, ex hoc fonte esse deductas.

[3]) De hoc litterarum ordine infra amplius accuratiusque dicetur.

Caput IV.

Quaeritur, quae ratio inter Eudociae violarium et Suidae lexicon intercedat?

In Suidae lexico maxima pars vitarum in Eudociae violarium receptarum reperitur. Ambiguum autem et dubium neque adhuc accuratius et critica ratione exploratum est, utrum haec summa vitarum Eudocianarum ex ipso Suidae lexico sit excerpta, an ex alio vetustiore fonte, unde item Suidas sua hauserit? Pars enim virorum doctorum, qui sive in Suidae lexico sive in Eudociae violario arte critica tractando versati sunt, maxime prioris temporis ut Wyttenbachius, Meinekius, Friesemannus et a., sed tamen non solum hi verum etiam nonnulli nostrorum aequalium, ut Bernhardyus, editor Suidae Halensis, (cfr. Com. in Suid. lex. Cap. I. §. 2. p. XXVIII; ibidem §. 5. p. XXXI.) sententiam proposuerunt Eudociam e Suidae lexico maximam partem vitarum deprompsisse: alii autem iique plerumque nostrae aetatis illorum opinioni adversantes arbitrati sunt Eudociam non Suidam ipsum, sed fontem Suidae secutam esse. Hanc igitur sententiam primus C. G. Muellerus in praefat. ad Thom. Reinesii observatt. in Suidam p. XI—XVII protulit, qui demonstrare studuit Eudociam violarium nullis glossis Suidae locupletasse et ornasse. Hic vir autem doctissimus, quamquam recte vidit atque demonstravit multa inter hos duos libros intercedere discrepantia distantiaque, tamen non tam diligenter acuteque hac in re demonstranda est versatus, ut mihi et certe multis quoque aliis, qui accuratius de hac re cogitaverunt, persuadere potuerit Eudociam nullo modo usam esse Suidae lexico. Primum enim in commentatione ejus hoc mihi vituperandum esse videtur, quod semper de Eudocia femina pro aetate sua doctissima et cum viris eruditione atque doctrina praeclarissimis usu familiari conjuncta semper ita agit, quasi illa in verbis e fonte suo describendis ne lineolam quidem potuerit mutare. Mea quidem sententia excerpta, quae in violario sunt collecta, nonnunquam ab Eudocia aucta sunt et ornata: quod infra demon-

strare conabor. Deinde vero Muellerus non laudandus est, quia vitis, quas ex alio fonte quam e Suida ortas esse jam alii viri docti demonstraverant, pro argumentis utitur, quibus probare vult Eudociam Suidam non descripsisse: quamquam hae nihil aliud demonstrant, quam praeter Suidam alios quoque fontes ab illa excerptos esse. Tum non ordinis rationem habet, quo Augusta materiem suam e multis et diversis libris congestam instituerit, neque necessario, quem dicimus, apparatu critico instructus commentationem suam composuit. Denique, quod ad singula attinet, nonnunquam a vero aberrat neque semper ratione et via disputavit. Sed longum est hic omnia usque ad vivum resecare.

Etiam post Muellerum nonnulli viri docti hujus sententiae patroni exstiterunt, quorum Maur. Schmidtius, vir his in rebus multum versatus et litterarum graecarum peritissimus, in libro, quo Didymi Chalcent. fragmenta collegit et disposuit p. 392, Hesychii Illustris librum, qui Onomatologus inscribitur, communem fontem Eudociae et Suidae ducit et in Recensione Suidae lexici a Bernhardyo editi, in Annalibus Fleckeiseni, Tom. 71 (1855) p. 474 haec dicit: „Was jedoch die Eudocia betrifft, die Bernhardy unter die Epitomatoren des Suidas rechnet, deren litterarhistorische Partien zwar ohne grossen kritischen Werth für die Emendation des Suidas, indessen zuweilen behilflich sind, das Lexicon um gute (?) Artikel zu bereichern oder von Einschiebseln namentlich Schmuglerwaaren aus Athenaeus zu befreien, so scheint es doch gerathener die Uebereinstimmung beider bei nicht unbedeutenden Abweichungen aus der Benutzung einer gemeinschaftlichen Quelle (dem Onomatologos des Hesych [1]) zu erklaeren.“ Deinde Valentinus Rose, vir doctissimus, eadem probavit in libro, qui inscribitur de Aristotelis librorum ordine et auctoritate commentatio, Radisl. 1854. p. 50. Attamen haec ita esse viri illi docti conjectura augurati sunt nec operam dederunt, ut hanc certis argumentis confirmarent, quod facere studuit Frieder. Nietzschius in Musei Rhenani Vol. XXII (1867) p. 189 sq. Neque huic omnibus partibus assentiri possum, qui censet, summum argumentum, quod nos doceat Eudociam Suidam ipsum non exscripsisse, ea in re quaerendum esse, quod illa in excerptis suis

[1]) Suidam vitas suas veterum scriptorum ex epitome quadam Onomatologi ab Hesychio Milesio conscripti hausisse via atque ratione demonstravit O. Schneiderus in commentatione „de Callimachi operum tabula, quae exstat apud Suidam“ p. 12 sqq., Gothae 1862: cui praeter alios Curtius Wachsmuth astipulatus est in Symbolis philolog. Bonnens. fasc. I. p. 139; idem jam antea contenderant Bernhardyus in commentt. in Suid. lexic. p. LV., Maur. Schmidtius locc. citt., Valentinus Rose l. c.; cfr. Lehrsii adnot. in Mus. Rhen. VXII. p. 453. adn. 2.

nonnunquam plura praebeat, quam e Suidae lexico sumere potuerit. Hoc sane verum est excerpta Eudociana praesertim in scriptis singulorum auctorum commemorandis interdum auctiora et copiosiora esse, quam Suidae vitas, sed si haec additamenta Eudociana accuratius consideravimus, intellegemus propter ea nequaquam necesse esse, ut statuamus Eudociam Suidae lexico non esse usam. Quamquam autem Fr. Nietzschius multos locos, ubi Eudocia plura habet quam Suidas, loco laudato jam collegit, equidem tamen, cum, ut ipse recte suspicatus est, haec collectio nonnullis locis augeri possit cumque ille non semper viderit rectum, omnia, quae inveni exempla, hic subjiciam, quorum ea, quae ille jam attulerat, asteriscis appositis notavi:

s. v. *Ἀντιφάνης Καρύστιος κωμικός*, Eud. p. 61, Suid. s. v. Eudocia addit: *ἔγραψε κωμῳδίας λ' οἱ δὲ πεντήκοντα.*

s. v. *Ἄψυρτος*, Eud. p. 65: *καὶ φυσικὸν περὶ αὐτῶν ἀλόγων ἐν βιβλίοις τέσσαρσιν* (*ἐν β. τ.* omittit Suid. s. v.)

s. v. *Ἀρχιμήδης*, Eud. p. 74: *καὶ εἴς τινας τοῦ Πλάτωνος διαλόγους.*

s. v. *Δαμόκριτος*,* Eud. p. 128: *Αἰθιοπικὴν ἱστορίαν, καὶ ἄλλα.*

s. v. *Ἑρμαγόρας Τήμνου*,* Eud. p. 164: *περὶ κώλων καὶ περιόδων.*

s. v. *Ἐπαφρόδιτος*, Eud. p. 168: *ἔγραψεν περὶ γραμματικῆς κάλλιστα· καὶ εἰς Ὅμηρον καὶ Πίνδαρον ἐξήγησιν.*

s. v. *Εὐστέφιος*, Eud. p. 166: *ἔγραψε λόγους πανηγυρικοὺς καὶ μελέτας* (Suid. *ἔγρ. μελέτας*).

s. v. *Ἐπίκτητος φιλόσοφος*, Eud. p. 172: *ἔγραψε πολλὰ ἠθικὰ φιλοσοφίας ἀνάμεστα*, quae nisi me fallit, scribenda sunt: *ἔγραψε πολλὰ ἠθικῆς φιλοσοφίας ἀνάμεστα.*

s. v. *Ζηνόδοτος Ἐφέσιος*,* Eud. p. 204: *ἔγραψε περὶ αὐθυποτάκτων καὶ ἀνυποτάκτων.*

s. v. *Ζωναῖος*, Eud. p. 204: *καὶ ἄλλα γραμματικὰ καὶ ῥητορικά.*

s. v. *Θεόκριτος Χίων*, Eud. p. 230 (Suid. *Θ. Χῖος*): *καὶ λόγοι πανηγυρικοί.*

s. v. *Θέων*,* Eud. p. 231: *ἔγραψε τέχνην ῥητορικήν, ἀρχαίαν ἱστορίαν καὶ ἄλλα τινά.* Haec verba levi et ridiculo modo e Suidae narratione de Theone excerpta sunt, quae cum hoc loco est conferenda.

s. v. *Κικίλιος*,* Eud. p. 270: *καὶ περιήγησιν Ἑλλάδος καὶ ἄλλα.*

s. v. *Μάξιμος Τύριος*, Eud. p. 299: *ἔγραψε πολλοὺς φιλοσόφους λόγους, ὧν πρῶτος τίς ὁ θεὸς κατὰ Πλάτωνα.*

---

*) Brevis Demetrii Iliei vita, a Fr. Nietzschio l. c. huic loco subjecta, cum, ut supra p. 27 jam vidimus, non sit hausta e summo fonte, de quo hic agitur, nobis silentio praetermittenda est.

s. v. *Μυρώ*,* Eud. p. 300: *νόμους μαιῶν καὶ διαταγὰς αὐτῶν, ἐπαοιδάς τε καὶ ἰατρίας ἐντεινούσας ταῖς λεχοῖς, καὶ μητρικῶν στρόφων θεραπείας.*

s. v. *Μένιππος*, Eud. p. 302: *Ὄφεις.*

s. v. *Νεάνδης Κυζικηνικός*,* Eud. p. 309: *ἔγραψε περὶ κακοζηλίας ῥητορικῆς καὶ λόγους πολλοὺς πανηγυρικούς.*[3])

s. v. *Ῥοῦφος*,* Eud. p, 371: *περὶ τῶν τοῦ ἀνθρώπου μορίων, δύο· περὶ ὀστῶν, ἕν.*

s. v. *Σιβύντιος*, Eud. p. 381 (scribe *Σιβύρτιος* ut in Suidae MSS. Pariss. habetur): *μελέτας καὶ ἐπιστολάς.*

s. v. *Σαλούστιος Μοψεάτης*,* Eud. p. 382: *ἔγραψε περὶ πυρετῶν· περὶ κατασκευῆς τοῦ ἀνθρώπου καὶ ἄλλα ἰατρικά.*

s. v. *Σαννυρίων*,* Eud. p. 382: *Ἰνώ Σαρδανάπαλος.*[4])

s. v. *Σωτηρίδας γραμματικός*, Eud. p. 387 *ὑπόμνημα εἰς Ὅμηρον καὶ Μένανδρον* (Suid. solum *ὑπ. εἰς Μένανδρον*).

s. v. *Φιλήτας*, * Eud. p. 424: *καὶ τὰ καλούμενα Ναζιακά.*

s. v. *Φίλων Βύβλιος*, * Eud. p. 424: *ἐπιγράμματα βιβλία δ'.*

s. v. *Χριστόδωρος Πανίσκου*, Eud. p. 436, Eudocia his verbis Suida est ditior: *ἐπιγραμμάτων βιβλία γ'. Ἐπιστολῶν δ'.*, quorum loco omittit Suidae additamentum *καὶ ἄλλα πολλά.*

s. v. *Χάραξ*, Eud. p. 437 *καὶ πολλὰ φιλόσοφα ἐν οἷς καὶ συμφωνίαν Ὀρφέως, Πυθαγόρου καὶ Πλάτωνος περὶ τὰ λόγια.* Nescio, quo casu haec ad hunc locum adjecta sint, quae leguntur apud Suid. s. vv. *Συριανός* et *Πρόκλος ὁ Λύκιος.*[5])

His locis accuratius perspectis inveni Eudociam saepius talibus

---

[3]) Errat Fr. Nietzschius, si putat Procli Lycii philosophi scriptum, quod inscribitur *Μητρῳακὴν βίβλον*, a Suida non commemoratum esse; cf. Suid. s. v. *Πρόκλος* Vol. II. p. 441 (Bernhard.).

[4]) Eudocia compluria dramata a Sannyrione scripta alio ordine quam Suidas profert: *Γέλως, Ἰνώ, Ἰώ, Δανάη, Σαρδανάπαλος, Ψυχασταί;* Suid.: *Γέλως, Δανάη, Ἰώ, Ψυχασταί* cf. Meinekii Com. Vol. I. p. 263. Non dubitandum est, quin vox *Ἰνώ* solam dittographiam inscriptionis *Ἰνώ* contineat: unde autem titulum Sardanapali Eudocia arripuerit, nescimus. Quod Bernhardyus (cfr. annot. ad. h. l. Suidae) suspicatus est vocem *Σαρδανάπαλος* inde profectam esse, quod Eudociae obversaretur *γέλως σαρδάνιος*, nihil nisi conjectura est.

[5]) Praeterea Eudocia nonnunquam ad scripta a Suida quoque prolata adjecit voces ejusmodi, ut *καὶ ἄλλα (τινά), καὶ ἄλλα πλεῖστα* et similes cfr. s. v. *Ἀριστογείτων* p. 65; *Ἀῤῥιανός* p. 70; *Δαμάσκιος* p. 134; *Ἑρμαγόρας Τήμνου* p. 164; *Κάνδαρος* p. 269; *Μητροφάνης Κορνηλιανοῦ*, p. 301; *Παυσανίας ἱστορικός*, p. 350; *Στράττις*, p. 381; *Σώπατρος κωμικός* p. 384; *Σέξτος Χαιρωνεύς*, p. 387; *Φύλαρχος*, p. 422; *Φαίδων Ἠλεῖος*, p. 425; *Φερεκύδης*, p. 425.

accessionibus abundare, quales ipsam apponere potuisse perfacile liceat conjicere. Primum enim interdum Suida ditior est in vitis eorum scriptorum, quorum scripta nobis sunt servata: quod fit in vita *Maximi Tyrii, Procopii, Rufi.* Multae Maximi Tyrii, philosophi, disputationes usque adhuc integrae manserunt, quae de philosophia Socratica et Platonica agunt, et inter eas etiam scriptum, quod Eudocia sola citat et praestantissimum omnium a Maximo compositorum esse dicit, quod inscribitur *τίς ὁ θεὸς κατὰ Πλάτωνα.* Sine dubio haec commentatio Eudociae erat nota. Deinde vero non dubitandum est, quin Eudocia Procopii scripta de bello Persico et Gothico cognoverit: quae si cognovit, quid mirandum est, quod nomina horum scriptorum a Suida non citatorum in vitas suas accepit? Ad scripta denique Rufiana a Suida allata eodem modo duos libros illa adjecit, quorum alter totus, alter corruptus nobis servatus est: *περὶ ὀνομασίας τῶν τοῦ ἀνθρώπου μορίων* et *περὶ ὀστέων.* Cum vero mirum esset, si his in locis fons Eudocianus eorum imprimis librorum inscriptiones servasset, qui usque ad nostram aetatem integri manserunt, multo potius hoc demonstrare mihi videtur Eudociam ipsam vel, si malis, hominem aliquem doctum, qui violarium doctrina sua amplificare voluit, nomina horum librorum ad ea, quae e Suida hausta erant, appossuisse. Neque haec sola Eudocia e copia doctrinae suae adjicere potuit, sed licet suspicari illam etiam aliis additamentis vitas e Suida depromptas auxisse. Quod enim s. v. Epaphroditi ea adjunxit verba: *ἔγραψε περὶ γραμματικῆς κάλλιστα καὶ εἰς Ὅμηρον καὶ Πίνδαρον ἐξήγησιν,* hunc grammaticum commentarium ad Homeri carmina enarranda scripsisse, illa scire potuit ex ipsis commentariis ad Homeri carmina additis, quos, ut supra vidimus, perlegit eo consilio, ut narrationes mythologicas inde exscriberet. Non raro enim Epaphroditus ab interpretibus carminum Homeri citatur.[6]) Quod attinet ad Epaphroditi commentarium ad Pindari carmina explicanda compositum, haud scio an Eudocia ampliora scholia ante oculos habuerit, quam quae ad nos pervenerint, in quibus hic commentarius est commemoratus: exigua enim scholia, quibus nos utimur, Epaphroditi commentarii non faciunt mentionem.

Cum deinde litterarum historia nos doceat aequales Eudociae

---

6) Epaphroditus saepius in scholiis ad Homeri carmina scriptis citatur; vid. ad Iliad. *B.* 8. 35; *Λ.* 824. 832; *N.* 599; *O.* 7; *Σ.* 519. 516 (Bekk.); *ὑπόμνημα τῆς Ἰλιάδος* ejus in Etymologico Magno s. v. *Γάργαρος* et *ὑπόμνημα τῆς Ὀδυσσείας* ibid. s. v. *Ἄωροι* et *Κεφαλληνία* commemoratur.

magnum studium atque otium in Platonis scriptis legendis et tractandis posuisse, velut Psellum, praeceptorem filiorum imperatricis, qui complures libros de Platonis philosophia composuit, valde verisimile est illam quoque in hujus philosophi scriptis legendis esse versatam; unde compertum habuisse Archimedem Trallianum (cfr. p. 30) εἴς τινας τῶ Πλάτωνος διαλόγυς commentarium conscripsisse. Tum non dubium est, quin illa verba ad Epicteti vitam addita (ἔγραψε πολλὰ) ἠθικὰ (ἠθικῆς?) φιλοσοφίας ἀνάμεστα suo utens judicio potuerit apponere. His vero praemissis apparet Eudociam ejusmodi locos, qualibus Suidae praestet, addere potuisse. Quae cum ita sint, intellegere non possum, cur nolimus concedere illam re vera adjunxisse hos locos ad ea, quae e Suida hausisset: immo vero ii, qui putant illam non ausam esse nonnunquam fontem suum augere et emendare, mihi falsi esse videntur neque satis perspexisse rationem, qua uteretur imperatrix in libro suo colligendo.

Neque volo contendere ab Eudocia sola, quae e Suida excerpta sint, aucta et amplificata esse. Nam etiam altera via pars additamentorum illorum in violarium irrepere potuerunt. Quis est, qui neget Eudociae scriptum eodem modo, quo plurimi ejus generis libri — lexica enim dico — sint corrupti, a lectoribus doctis et indoctis esse interpolatum? Atque re vera violarium nonnusquam a viris doctis posterioris temporis, quam quo Eudocia viveret, amplificatum esse manifestum exemplum ab Harlessio in introd. in hist. ling. gr. II. p. 367 prolatum docet. In narratione enim de Troja et Trojanorum adventu in Italiam p. 402. provocatur ad testimonium Cyriaci Anconitani (qui circa saeculum XV. vixit) verbis ἔτος ἀπήγγειλεν ἡμῖν Κυριακὸς ὁ Ἀγκιῶνος κ. τ. λ. Sic etiam in uno de locis praemissis s. v. Φιλήτας verba καὶ τὰ καλέμενα Ναζιακά, cum post voces καὶ ἄλλα, quibus Suidae et Eudociae vitae vel potius in singulis vitis indices enumeratorum librorum plerumque concluduntur, sint collocata, docto alicui lectori deberi videntur[1]); itemque s. v. Χάραξ p. 31 verba καὶ πολλὰ φιλόσοφα — τὰ λόγια, quae aqud Suidam s. vv. Συριανός et Πρόκλος reperiantur. Denique tertia via patet, qua, quomodo hae accessiones sint ortae, explicari licet. Nam non incredibile est illum Suidae librum, unde excerpta Eudociana profecta sint, corruptum et a studiosis hominibus locupletatum fuisse. Quibus perspectis tantum abest, ut concedam illos locos, quibus Eudocia Suidam exsuperat, esse causam satis gra-

[1]) Citatur. hoc Philetae scriptum etiam a Tzetze ad Lycophr. v. 633 et ab Eustathio ad Hom. p. 1885.

vem, quae nobis sine ulla dubitatione demonstret illam non Suidam ipsum exscripsisse, sed e pleniore fonte hausisse, ut contendam *eorum maximam partem ab illa ipsa vel ab interpolatoribus ejus esse profectam*. Quod attinet ad alteram causam, qua Fried. Nietzschius opinatur demonstrari Eudociam vetustiorem fontem, quam Suidas sit, secutam esse, quod illa nonnullos articulos praebeat e Suidae lexico non haustos, ut Demetrii Ilіei, Doridis, Coracis[8]), Cleombroti[9]), jam vidimus (cfr. p. 27) multo verisimilius esse illam eos ex aliis fontibus sumpsisse, quam ex Onomatologo Hesychiano, unde iste opinatur maximam partem vitarum fluxisse.

Etsi vero usque adhuc semper contra eorum sententiam disputavi, qui excerpta Eudociana e libro a Suida conscripto fluxisse negant, tamen etiam mihi confitendum est ipsum Suidae lexicon et Eudociae violarium conferentem in duabus rebus offendisse, quae per se istorum sententiam tueri videantur. Primum enim pro certo habeo *Eudociam in componendis narrationibus, quae ad historiam fabularem pertinent, Suida non usam esse*. Sunt enim etiam complures loci Eudociani, ubi de rebus mythologicis agitur, qui in Suidae lexico reperiuntur, e. g. s. vv. *Ἄβαρις* Eud. p. 20, *Ἄιδος κυνέη* Eud. p. 30, *Ἀλκύων* Eud. p. 35, *Ἀλιτήριοι* p. 36 aliique. Si vero ejusmodi locos cum fontibus, unde Suidas sua derivavit, accuratius comparaverimus, inveniemus Eudociam plerumque magis cum Suidae fontibus, quam cum ipso Suida consentire, unde colligi potest eam fontes ejus, non ipsum exscripsisse. Sic aliquot locis illa scripturis atque ordine verborum magis cum scholiis ad fabulas Aristophaneas explicandas scriptis quam cum Suida congruit: s. v. *Ἄβαρις* Eud. p. 20, schol. ad Aristoph. equit. v. 725; s. v. *Βάκχος* Eud. p. 87, schol. ad equit. v. 406; s. v. *Βάκιδες* p. 92 et 374, schol. ad pac. 1071. cfr. schol. ad av. 963; s. v. *Ἔμπουσα φάντασμα* p. 147, schol. ad ran. 294; s. v. *Θησεύς* p. 227, schol. ad plut. 627 (Suid. s. v. *Θησείοισιν*); s. v. *Κέκροψ* p. 252 sq. schol. ad plut. 773; s. v. *Λακρατίδης* p. 274, schol. ad Acharn. 219; s. v. *Λάμια* p. 274, schol. ad pac. 757; s. v. *Μίδας* p. 290, schol. ad plut. 289; s. v. *Σαρδανάπαλος* p. 372 schol. ad av. 1022. S. v. *Εἰρεσιώνη* Eudocia p. 142 et 143

---

[8]) Falsus est, qui putet Eudociam hanc brevem Coracis vitam e Suida non potuisse derivare, cum in lexico ejus vel duo loci inveniantur, unde hanc sumere potuerit, vid. Suid. s. v. *Κόραξ*, et s. v. *κακοῦ κόρακος*.

[9]) Jam supra p. 22 monui vitam Cleombroti ex scholiis ad Gregor. Naz. scripta deductam esse.

Pausaniam lexicographum, Eustathii (in Hom. 1283) fontem, descripsit non Suidam, qui eadem iisdem paene verbis narrat: itemque magis cum Harpocratione quam cum Suida facit his locis: s. vv. Ἀνθεμόκριτος Eud. p. 43, Δήμαρχος p. 108, Ἐπικράτης p. 150; deinde cum scholiastis, qui scripta Gregorii Nazianzeni enarraverunt:

s. v. Ἀλφειός Eud. p. 40, Nonn. apud Creuz. Melett. I. p. 78 sq.
s. v. Βεθοίνας p. 95, Nonn. ad steleut. I., nar. 41, Mont. p. 141.
s. v. Κασταλία p. 251, Nonn. ibid. II. nar. 14, Mont. p. 165.
s. v. Μίδρας p. 291, Nonn. ibid. I., nar. 47, p. 143.
s. v. Ὄσιρις p. 319, Cosm. ad carm. LXIV, l. c. p. 179 sq.
s. v. Οἰωνιστική p. 315, Nonn. ad. stel. I. nar. 72, p. 151.
s. v. Προσκύνειν p. 348, Nonn. ibid. II. nar. 9. p. 164.
s. v. Πρίαπος p. 345, Nonn. ibid. nar. 28, p. 170.
s. v. Σκύλλα p. 376 sq., Nonn. ibid. I. nar. 52, p. 146 sq.
s. v. Τάνταλος p. 390, Nonn. ibid. II. nar. 31, p. 171.
s. v. Τιτνός p. 396, Nonn. ibid. p. 171 sq.
s. v. Τράγοι οἱ Μενδήσιοι, p. 397, Nonn. ibid. nar. 27, p. 169.[10])
s. v. Φάνης p. 413, Nonn. ibid. I. nar. 78, p. 154 sq.
s. v. περὶ τῆς τῶν Χαλδαίων ἀστρονομίας Eud. p. 429 (Suid. s. v. Ἀστρονομία) magis cum Cosma, Spic. Rom. II. p. 307 consentit; s. v. Ἀσσυάνασσα magis cum Hesychio Alexandrino quam cum Suida. Nonnulli denique articuli Eudociani, quorum fontes non inveni, uberiores sunt quam Suidae, qui fere eadem tradit, unde efficitur illam hunc non esse secutam, cfr. s. vv. Ἑκάβη Eud. p. 143, Suid. s. v.; Σαλμωνεύς p. 371, Suid. s. v.

Cum igitur ex tanta copia exemplorum intellegamus Eudociam, ubi in ea parte violarii, quae narrationes mythicas complectitur, eadem atque Suidas narret, semper fontes ejus, non ipsum exscripsisse, puto me recte disputare, si contendam propter paucos locos, de quibus idem certis argumentis comprobare mihi non contigerit, ut s. v. Ἄιδος κυνέη, Eud. p. 30; Ἀλιτήριοι, p. 36; Ἀπίδες, p. 80; Βῆρος, p. 92; Εἰς Κυνόσαργες, p. 143; Ἰανθάριος, p. 233; Πολύγνωτος,

---

[10]) Cum haec de Mendete narratio Eudociae accuratior et plenior sit quam Nonni et Suidae s. v. Μένδην, colligere possumus unumquemque horum scriptorum diverso modo fontem suum, i. e. scholia ad Gregor. Nazianz. descripsisse. Idem nobis occurrit his locis:

s. v. Γοργόνες Eud. p. 99, Nonn. ad stel. I. nar 76 153.
s. v. Ἠλύσιον πεδίον p. 219, Nonn. ad stel. II. narr. 7 p. 163.
s. v. Κερδῷος θεός p. 256, Nonn. ibid. I. narr. 90 p. 158.

p. 340; *Πρίαπος*, p. 345 (s. fin. narr. a. vv. *τό δὲ ἄγαλμα αὐτȣ̃* usque ad finem) non conjiciendum esse Eudociam in conscribenda violarii parte, qua res fabulares narrantur, Suidae usam esse lexico. Si enim hoc facere voluisset, certe sexcenties aliis in locis fecisset, neque solum perpaucis illis praeter quos ne unum quidem inveni.

Ut haec sic etiam alia res per se videtur confirmare sententiam eorum multo esse probabiliorem, qui Eudociam Suidam non secutam esse opinentur. Nonnunquam enim narrationum Eudocianarum argumentum aut scribendi ratio monstrare videtur *has majore aetate esse quam Suidae narrationes.* Quod non solum in iis locis fit, quibus jam Bernhardyus comment. in Suid. lex. p. XXXIII. sq. demonstravit Suidae librum, postquam Eudocia ex iis sua excerpsisset, nonnullis locis ex Athenaeo interpolatum esse, velut in vv. *Ἔριφος*, *Εὐθυκλῆς*, gl. 2; *Πλάτων*, *Φίλιππος κωμικός*, *Δαμόξενος*, *Κικίλιος Ἀργεῖος*, sed meo quidem judicio etiam aliis locis, quos infra subjeci:

s. v. *Ἑκαταῖος Ἡγησάνδρȣ Μιλήσιος*, Eud. p. 163. Hac in vita verba Eudociae, quibus de Herodoto Halicarnasseo, Hecataei quasi successore in historia conscribenda, agit: *ὑφ' ȣ̃ (Ἑκαταίȣ) καὶ ὁ Ἁλικαρνασσεὺς Ἡρόδοτος ὠφέληται νεώτερος ὤν* multo magis plana et aperta sunt, quam quibus Suidas eandem rem narrat: *Ἡρόδοτος δὲ ὁ Ἁλικαρνασσεὺς ὠφέληται τȣ́τȣ νεώτερος ἄν.* Quae verba Bernhardyus ita vertit: hoc junior fuit Herodotus Halicarnasseus, qui multum ei debet. Cum autem verbum *ὠφελεῖσθαι* cum nudo genitivo personae, a quo aliquis adjuvetur, construi non possit, sed praepositionem *ἀπὸ* vel *ἐκ* vel *ὑπό* necessario exigat, puto Eudocianam scripturam praeferendam et Suidae verba ita emendanda esse: *Ἡρόδοτος — ὠφέληται ὑπὸ τȣ́τȣ, νεώτερος ὤν.*

s. v. *Καικίλιος Καλαντιανός*, Eud. p. 268. Suidas hac in vita multis vitiis laborat. Omittamus voces *Καλαντιανός* et *Κάλαντις*, quas critici jure in suspicionem vocarunt, et maxime spectemus verba *κατὰ Φρυγῶν δύο· ἔστι δὲ κατὰ στοιχεῖον ἀπόδειξις τȣ̃ εἰρῆσθαι πᾶσαν λέξιν καλλιῤῥημοσύνης· ἔστι δὲ Ἐκλογὴ λέξεων κατὰ στοιχεῖον. . .* Sic haec verba in Suidae lexico habentur, in violario autem solum legimus: *Κατὰ Φρυγῶν δύο, ἀποδείξεις τȣ̃ εἰρῆσθαι πᾶσαν λέξιν καλλιῤῥημοσύνης, ἔστι δὲ κατὰ στοιχεῖον.* Jam Kuesterus recte perspexit hunc Suidae locum valde esse corruptum. Errat autem, si putat verba *ἔστι δὲ — καλλιῤῥημοσύνης* tamquam scholion inducenda vel omittenda esse; sed, ut Eudocia demonstrat, quae sine ulla dubitatione genuinam scripturam servavit, verba sequentia *Ἐκλογὴ λ. κ. στ.* insiticia ducenda sunt. Nam si, ut ille arbitratur, verborum *ἀπόδειξις κ. τ. ἑ.* expli-

candorum causa ab interpolatore aliquo apposita essent, certe post, non ante vv. *Ἐκλογή λ. κ. στ.* essent collocata. Adhuc accedit quod conjicere possumus, unde ille, qui vv. *ἔστι δὲ Ἐκλογὴ λ. κ. στ.* ad marginem ascripsit, ea arcessiverit. Legerat enim haec in indice librorum, quibus Suidas usus est, lexico ejus praefixo, ubi habentur: *Καικίλιος Σικελιώτης, ἐκλογὴν λέξεων κατὰ στοιχεῖον.* Cum autem his verbis cum vita Caecilii comparatis conjectaret verba *ἀπόδειξις — καλλιῤῥημοσύνης* non esse nisi diversam inscriptionem ejusdem libri, ad marginem annotavit *ἔστι δὲ Ἐκλογὴ λέξεων κατὰ στοιχεῖον.* Quo scholio postea in contextum recepto verba *ἔστι δὲ κατὰ στοιχεῖον* e sede sua depulsa ante vv. *ἀπόδειξις τῦ εἰρῆσθαι κ. τ. λ.* collocata sunt. Attamen ne Eudociae quidem scriptura verborum: *ἀποδείξεις τῦ εἰρῆσθαι πᾶσαν λέξιν καλλιῤῥημοσύνης* sana mihi esse videtur, cum infinitivum perf. pass. *εἰρῆσθαι* non habeam, quomodo explicem. Ejus autem loco puto scribendum esse *εὑρέσθαι* et hunc Suidae locum ita esse legendum: *Κατὰ Φρυγῶν δύο· ἀπόδειξις* (vel *ἀποδείξεις*) *τῦ εὑρέσθαι πᾶσαν λέξιν καλ.* omissis, quae secuntur verba *ἔστι δὲ Ἐκλογὴ λ. κ. στ.*; i. e. contra Phryges duo: demonstratio (Nachweis), qua via unumquodque verbum artis pulchre dicendi inveniatur. — Eudociae vero hoc in articulo majorem vetustatem quam Suidae concedendam esse inde quoque colligere possumus, quod scripsit *ἔγραψε βιβλία πολλά,* deinde *ἀποδείξεις, σύγκρισιν, σύγκρισιν*; nam eadem Suidam in fonte suo legisse diversa scriptura docet vocis *σύγκρισις* altero loco, ubi fere omnes Suidae libri quartum casum *σύγκρισιν* praebeant (libris Vossiano et Mediol. exceptis, in quibus nominativus exstat), quamquam apud Suidam casus accusativus constructionem totius loci turbat, deinde quod Eudocia s. fin. verba ineptissima: *πῶς δὲ Ἰυδαῖος τῦτο θαυμάζω. Ἰυδαῖος σοφὸς τὰ Ἑλληνικά,* silentio praeterit, quae jam pridem pro accessione posteriore agnita sunt.

s. v. *Ἀλκμὰν Λάκων*: Eudocia p. 60 glossam, quam in Suidae lexico s. v. *Ἀλκμάν* legimus de Alcmane altero, qui tamen idem est atque Alcman Laco, praetermittit, unde colligi potest hanc illam suo in fonte non legisse. Eadem res nobis occurrit in vita Corinnae (Eud. p. 270), ubi illa jure ignorat verba Suidae *Κορίννα νεωτέρα Θηβαία .... κληθεῖσα,* quae sine dubio de Corinna, Acheloodori et Procratiae filia, sunt dicta, cujus vitam Suidas jam accuratius narravit. Cfr. praeterea vitam Sapphonis Eud. 382. Hac in vita Eudocia cum Suidae cod. A facit omittens narrationem de Sapphone Lesbia Mytilenaea.

s. v. Θεοδόσιος: Suidas duobus in articulis, Eudocia p. 229 uno scripta duorum Theodosiorum, sceptici et mathematici, inter se confundit; haec vero illum, ut nobis traditus est, ante oculos habuisse non potest, quippe quae primum alio ordine singulos libros afferat, deinde duo scripta ab illo commemorata plane praetereat, denique titulos et διαγραφὰς οἰκιῶν ἐν βιβλίοις γ' et περὶ οἰκήσεων haud falso judicio quasi de uno scripto dictos proferat scribens διαγραφὰς οἰκιῶν ἐν β. γ' ἤτοι περὶ οἰκήσεων. Utrum vero haec suo judicio ita mutaverit, an e fonte suo hauserit, dijudicare non audeo.

s. v. Ἰσοκράτης: in scriptis Isocratis enumerandis Eudocia p. 247 accusativo casu usa est omisso verbo ἔγραψεν vel simili. Hic usus librorum citandorum saepius apud Suidam invenitur, ut in vita Dionysii Musonii, Helladii Alexandrei, Palamedis Eleatici, Phrynichi, Hellanici Milesii, atque hic vetustior mihi esse videtur, quam Suidae constructio horum verborum: καὶ λόγοι αὐτῷ ε'· Ἀμφικτυωνικός, Προτρεπτικός κ. τ. λ. Quae si recte disputata sunt, Eudociae articulus vetustior habendus est quam hujus. Simillimum aliquid in vita Lini Chalcidensis invenimus, ubi illa in verbis construendis labitur primum nominativo, deinde accusativo cum infinitivo usa: λέγεται δὲ πρῶτος ἔτος-ἀγαγεῖν, γενέσθαι δὲ — διδάσκαλον γραμμάτων καὶ — — γενέσθαι ἡγεμόνα. Cum vero Suidas solum nominativum cum infinitivo conjunctum retineat, puto Eudociam constructionem mutatam suo in fonte legisse indeque descripsisse; nec ipsam verba, quae apud Suidam legimus, mutasse.

s. v. Καρκίνος Ἀθηναῖος τραγικός: Eudocia p. 270 bene pro verbis Suidae Σεμέλη, ἧ ἀρχή, ὡς Ἀθήναιός φησιν ἐν Δειπνοσοφισταῖς scribit Σεμέλη καὶ ἄλλα. Nam Suidae narrationem ex Athenaeo obiter inspecto interpolatam esse ipsius Athenaei locus arguit lib. XIII p. 559, ubi haec habentur: Καρκίνος δὲ ὁ τραγικὸς ἐν Σεμέλῃ, ἧς ἀρχή, Ὦ νύκτες, φησί. Videmus igitur fabulam, quae Σεμέλη inscribatur, non alterum nomen „Ἀρχή" habuisse, sed initium ejus fuisse „O noctes". Quae cum ita sint, Bernhardyo assentiendum est, qui istam laciniam neque vetustam neque satis castigatam vocat; vid. Stanlejum ad Aeschyl. Choephor. 822.

s. v. Κράτης Ἀθηναῖος, Suid. gl. 1. Eud. p. 271. Merito haec ignorat verba ἔγραψε δὲ καὶ καταλογάδην τινά; cfr. Bernh. annot. ad hunc Suidae locum appos.

s. v. Μάναιχμος Ἀλωπεκοννήσιος: Eudocia p. 299 εἰς τὴν Πλάscrτωνος πολιτείαν melius quam Suid., qui scripsit εἰς τὰς Πλάτωνος sunt. ιτείας. Eadem scripturarum diversitas nobis s. v. Ποτάμων Ἀλε-

ξανθρεύς, Eud. p. 365 occurrit. Iterum igitur videmus Eudociam scripta Platonica haud ignoravisse.

s. v. Παλαίφατος Ἀβυδηνὸς ἱστορικός: in verbis ὡς Φίλων ἐν τῷ Υ στοιχείῳ τῦ περὶ παραδόξυ ἱστορίας πρώτυ βιβλίυ, quamvis male perturbata sint, tamen non dubito, quin Eudocia vocibus πρώτυ βιβλίυ genuinam scripturam servaverit. Cum autem sciamus Philonem Byblium (cfr. Suid. s. v.) inter alia librum scripsisse, qui inscribitur: περὶ πόλεων καὶ ὓς ἑκάστη αὐτῶν ἐνδόξυς ἤνεγκε, haud scio an hoc loco sic sit scribendum: ὡς Φ. ἐν τῷ* στοιχείῳ τῦ περὶ ἐνδόξων ἱστορίας πρώτῳ βιβλίῳ.

s. v. Πείσανδρος, Νέστορος τ. π. υἱος: scriptura Eudociae p. 355. Ἡρωϊκῶν Θεογαμιῶν (Suid. Ἡραϊκῶν Θεογαμιῶν) praeferenda est, quae auctoritate Zosimi probetur (vid. Zos. V. 29. p. 805 et Kuesteri annot. ad Suid.).

s. v. Πρόκλος ὁ Λύκιος, Eud. p. 366. Bernhardyo assentior, qui Suidae verba ad finem hujus vitae addita, quibus violarium caret: ἐτὸς ἐστι Πρόκλος — ἀμαθῆ καὶ ἀνόητον recens esse subjuncta arbitratur. Videmus igitur, cum nesciamus, quo tempore haec adjecta sint, valde ambiguum atque incertum esse, num hoc additamentum pro eorum sententia facere possit, qui Eudociam non Suidam, sed Onomatologum Hesychii exscripsisse opinentur, quod Fr. Nietzschius l. c. p. 193 conjecit.

Ejusmodi exempla, quorum numerum augeri posse mihi persuasum habeo, per se sane videntur demonstrare Eudociam alium fontem exscripsisse atque Suidae lexicum. Sed tamen, cum jam supra invenerimus *illam nonnunquam ad suum judicium aut propriae doctrinae opibus Suidae excerpta et mutasse et locupletasse*, nihil magis est credibile, quam *his quoque locis* eam interdum *idem* fecisse, ut, nisi me fallit, s. vv. Ἑκαταῖος, cfr. p. 36., Θεοδόσιος, p. 38., Μάναιχμος, ibidem. Certum vero exemplum, quod docet illam hic et illic fontem suum emendare atque amplificare esse ausam, vita Porphyrii, philosophi Tyrii, (Eud. p. 364) praebet. Qua in vita primum explicationem nominis Porphyrii, qui proprio nomine Βασιλεύς vocabatur, ἔδοξε δὲ ὕτω μετακληθῆναι .... τὴν Τύρυ τέχνην nescio unde adjecit: deinde Suidae verba μαθητὴς Ἀμελίυ, τῦ Πλωτίνυ μαθητῦ, διδάσκαλος δὲ Ἰαμβλίχυ vita Porphyrii ab Eunapio scripta fortasse inspecta non indocte ita correxit: ἀκυστὴς δὲ γέγονε τοπρῶτον Λογγίνυ τῦ φιλοσόφυ, εἶτα Πλωτίνυ· διδάσκαλος δὲ Ἰαμβλίχυ (cfr. interprett. Suid. ad h. l. et ad vit. Plotini; Eunapii vit. Porphyrii, p. 7 Boisson). Denique certissimum argumentum est Eudociam hanc vitam dedita opera emen-

dasse, quod inscriptionem notissimi illius libri a Porphyrio conscripti „de quinque vocibus“, qui a Suida his verbis citatur: *περὶ Γένϐς καὶ Εἴδϐς καὶ Διαφορᾶς καὶ Ἰδίϐ καὶ Συμβεβηκότος* his verbis circumscripsit: *τὰς καλϐμένας ε' φωνάς* (deest hic in contextu violarii particula *ἢ*), *τῆς Ἀριστοτέλϐς λογικῆς πραγματείας μεϑοδικὰς εἰσαγωγάς*; quae verba propius ad propriam ejus inscriptionem *Εἰσαγωγὴ ἢ περὶ τῶν πέντε φωνῶν* accedunt. Cum vero Michael Psellus [11], praeceptor liberorum Eudociae, synopsin hujus libri scripsisset, sine dubio illi et ejus propria inscriptio et argumentum, quod Suidae verbis exprimitur, erat notum. Qua de causa quam manifestissimum est eam Suidae verba correxisse.

Ut autem hac re, sic etiam alia locis supra allatis fere tota tollitur vis demonstrandi excerpta Eudociana ex alio fonte hausta esse atque e Suidae lexico. Non enim, quod jam Bernhardyus l. c. p. XXXIII sq. statuit, sine aliqua specie veritatis est Suidae lexicon post id tempus, quo excerpta Eudociana inde deducta sint, compluribus locis sedulitate lectorum studiosorum et locupletatum et corruptum esse: neque talem, qualis nobis putandus est fons excerptorum Eudocianorum, nobis esse conservatum, sed studio ac diligentia virorum doctorum, qui post Eudociae aetatem vivebant, hic et illic amplificatum depravatumque. Quam opinionem etiam ea res reddit quam verisimillimam, quod scimus Suidae lexicon cursu temporum non minutum sed magis magisque auctum et amplificatum esse cfr. Bernhardyum l. c. cap. II, 4. p. XLII et cap. III, 1. p. LXIV. Videmus igitur valde saltem esse ambiguum, num hi loci, ubi Eudocia scripturas magis emendatas praebeat et interdum posteriora additamenta Suidae ignoret, possint demonstrare illam vetustiorem fontem, quam hujus lexicon, secutam esse.

Haud ignoro me usque adhuc nonnulla non tam gravibus argumentis firmata, ut in suspicionem duci non possint, proposuisse: neque hoc fecissem, nisi mihi certa essent argumenta, quibus sententia, quam de hoc fonte Eudociano habeo, vera esse probetur. Non opus est accuratius exponi, quam arto propinquitatis vinculo excerpta Eudociana cum vitis, quas apud Suidam invenimus, conjuncta sint: quippe cum unaquaeque fere violarii pagina hujus rei argumento sit. At unum hoc in genere restat, quod dignum est memoratu multumque valet ad nostram quaestionem recte dijudicandam. Etiamsi enim jam complures viri docti in Eudocianis excerptis cum Suida comparandis

---

11) cfr. Fabric. B. G. Vol. V. p. 735 sq. Harl.

occupati fuerunt, tamen nemo dum commonefecit, quantopere *litterarum ordo*, quo Suidae lexicon est compositum, cum illo conveniat, quo vitae in violario sunt ordinatae. Nemo, qui aliquando Suidae lexicon evolvit, nescit id eo inusitato litterarum ordine esse compositum, quem grammatici *antistoichicum*[12]) nominant. Si autem ordinem, quo singulae partes vitarum missis illis, quae apud Suidam non inveniuntur, in violario compositae sint, attente intuemur, observare possumus *eum esse antistoichicum*. Sic ordo vitarum rhetorum, qui in violario s. litt. A. exstat, hic est (cfr. indicis violario praefixi pag. XIII sq.):

Ἀδριανός (Phil.)	Ἀνδροκλείδης
Ἀδηνόδωρος (Phil.)	Ἀπολλώνιος ὁ Ἀρχ.
Αἰσχίνης (D. L.)	Ἀριστείδης (Phil.)
Ἄβας	Ἀριστογείτων
Ἀναξιμένης	Ἀπολλώνιος ὁ Ναυκ. (Phil.)
Ἀλέξανδρος ὁ πηλ. (Phil.)	Ἀριστοκλῆς (Phil.)
Ἀντίπατρος (Phil.)	Ἁρποκρατίων
Ἀπολλώνιος ὁ Ἀϑ. (Phil.)	Ἀσπάσιος (Phil.)
Ἀντίοχος (Phil.)	Ἀφαρεύς
Ἀνδοκίδης	Ἀψίνης
Ἀνδρόμαχος	Αἴσωπος
Ἀνδροτίων	Ἀρισταίνετος (apud Suid. non exstat.).
Ἀντιφῶν (Phil.)	

Iis autem vitis omissis, quae apud Suidam non exstant aut ex eo non sunt haustae, hic ordo relinquitur:

Ἄβας	Ἀπολλώνιος ὁ Ἀρχ.
Ἀναξιμένης	Ἀριστογείτων
Ἀνδοκίδης	Ἁρποκρατίων
Ἀνδρόμαχος	Ἀφαρεύς
Ἀνδροτίων	Ἀψίνης
Ἀνδροκλείδης	Αἴσωπος.

Comparatio vero horum ordinum docet Suidae antistoichiam solum iis vitis, quae ex aliis fontibus atque ex hoc sumptae sint, turbari, vitas autem, quae Eudociae cum hoc sint communes, eundem ordinem servasse, quo apud hunc sint ordinatae. Nam vita Androclidis,

[12]) De Antistoichia accuratius Bernhardyus egit in Commentt. ad Suid. lex cap. II. 2. p. XXXVI—XXXIX.

quae cum turbat, cum bis in violario (p. 59 et p. 75) inveniatur et utroque loco extra ordinem antistoichicum sit collocata, suspecta mihi esse videtur et fortasse posterior accessio habenda. Locus deinde, quem nomen *Aesopi* obtinet, testimonium est antistoichiae, ut in serie philosophorum nominis *Arriani* locus, quae series praetermissis vitiis e Laertio Diogene haustis haec est:

Ἀγάπιος	Ἀριστόξενος
Ἀκύλας	Ἄρνουφις
Ἀλέξανδρος	Αἰσχίνης
Ἀλκιδάμας	Ἁρποκρατίων
Ἀμμώνιος	Ἀφρικανός
Ἀπολλώνιος Τυανεύς	Ἀρτεμίδωρος
Ἀρριανός	Ἀρχιμήδης
Ἀριγνώτη	[Ἀνδροκλείδης].
Ἀριστοκλῆς	

Etiam hae vitae omnes praeter *Aeschinis* et *Aphricani* eundem litterarum ordinem obtinent, quo apud Suidam se excipiunt. Tantopere vero ut glossis *Aeschinis* et *Aphricani* et praeterea s. litt. *K* glossa *Corinnae* poëtriae nusquam alibi Suidae ordo corruptus est. Ceteris locis, ubi hoc fit, semper causa perturbationis intellegitur, plerumque enim Eudocia vel scribae violarii eo modo erraverunt, ut vitam aliquam negligentia praeterirent, quam post errorem intellectum falso loco inseruerunt. Hac ratione in serie poëtarum s. litt. A nonnullis locis litterarum ordo violatus est et alia ejus generis exempla inveniuntur in serie poetarum s. litt. *A* indic. p. XVI, ubi vita Deinolochi post Damoxeni collocanda erat, in ser. historic. s. litt. *E* p. XVII, cfr. vitt. Eustathii et Ephori; in ser. gram. s. litt. *E* ibid., cfr. vitt. Epaphroditi et Helladii; cfr. deinde locos, quos obtinent vitae Luciani rhetoris p. XX, Marsyae histor. p. XXI, Palladii rhetor. p. XXIII; Philostrati rhetoris p. XXV. In serie poëtarum s. litt. *A* collocatio nominum *Arriani, Arionis, Ainici, Aischrionis* argumento est fontem Eudociae ordine antistoichico compositum fuisse, quod ita esse haec quoque exempla demonstrant:

1. s. litt. *A* in serie rhet. conf. locum, quem obtinet nomen Dinarchi,
2. s. litt. *E* „ „ gram. „ „ „ „ „ Irenaei,
3. s. litt. *Θ* „ „ philos. „ „ „ „ „ Theaeteti,
4. s. litt. *K* „ „ rhetor. „ „ „ „ „ Caecilii,

5. s. litt. *K* in serie poetar. conf. locum, quem obtinet nomen Caesaris Tiberii, Clitagorae,
6. s. litt. *Π* in serie rhetor. conf. locum, quem obtinet nomen Polyaeni, Polionis, Poli.
7. s. litt. *Π* in serie poetar. conf. locum, quem obt. nomen Palaephati.
8. s. litt. *Π* in serie gram. „ „ „ „ „ Palaephati, Polionis.
9. s. litt. *Σ* in serie poetar. conf. locum, quem obt. nomen Sopatris — — Sophronis.
10. s. litt. *Φ* in serie poetar. conf. locum, quem obt. nomen Philonidis, Phoenicidis.
11. s. litt. *X* in serie poetar. conf. locum, quem obt. nomen Choerili.

Haec autem antistoichiae lex in iis vitis ordinandis, quae apud Suidam reperiuntur, *semel tantum* violata est in serie philosophorum s. litt. *Σ* compositorum vulgari litterarum ordine instituta: qua tamen in re fortasse scribae vel lectoris alicujus imprudens studium usitatioris litterarum ordinis restituendi agnoscendum est.

Tot autem vestigiis *antistoichiae* detectis, quis est, qui diutius dubitet, quin Eudocia maximam partem vitarum scriptorum e fonte sumpserit *antistoichica ratione* instituto? nam quominus putemus ipsam ita sua composuisse, impedit nos vulgaris litterarum ordo, quem ceteroqui in violario conscribendo est secuta. Quae cum ita sint, haec res sine dubio est gravissima ad demonstrandum maximam partem vitarum e Suidae lexico in violarium deductam esse. Hac occasione data nobis admonendum est usque adhuc viris doctis Suidae lexicon solum secundum antistoichiam ordinatum notum fuisse: cui nunc violarium Eudociae ex parte quidem eodem modo institutum adjungere possumus (cfr. Bernhardyum l. c. II. 2. p. XXXVIII).

Verum tamen etiam alia causa accedit, qua perductus eorum sententiam, qui Suidam fontem Eudociae esse contendunt, ausus sum defendere.

Multis enim locis scripturae Eudocianae cum scripturis deteriorum librorum Suidae, maxime eorum, unde *primae editiones lexici* descriptae sunt, valde congruunt idque in locis, ubi certissimis argumentis possumus demonstrare genuinam Suidae scripturam et item eam, quae in Onomatologo Hesychii Milesii, fonte ejus, haberetur, aliam fuisse, atque scripturam, quam Eudocia praebeat. Sic in vetustioribus Suidae editionibus, ut nonnulla exempla afferam, post glossam *Βαῦνος κάμινος* — — *τεχνῖται* subsequebatur gl. *Βαρὼ καὶ Δημώ· ὀνόματα σοφῶν*

γυναικῶν· Ἐξένισεν ἡ Βαρὼ τὴν Δημώ: quae verba Eudocia p. 93 exhibet. Cujus articuli vocem *Βαρώ* corruptam esse jam litterarum ordo, qui apud Suidam hac voce est perturbatus, ostendit: deinde vero hic locus in libro *A* ad marginem adscriptus est, ubi recte *Βαυώ* pro *Βαρώ* legitur, atque in libris V et C prorsus omissus est: denique in iis, qui litteris *B. E.* Med. signari solent, *Βαβώ* habetur. Quamquam per se ambiguum est, utrum hic locus Suidae tribuendus sit nec ne, tamen nobis putantibus eum a Suida in lexicon receptum esse statuendum est hunc *Βαυώ* scripsisse idemque in fonte suo legisse. Hac igitur re docemur Eudociam non fontem Suidae, sed aliquem librum ejus corruptum descripsisse. Ad eundem perveniemus exitum, si varias scripturas, quae in vita *Nicanoris* Eud. p. 311. Suid. s. v. inveniuntur, comparaverimus. Cujus ad finem in Eudociae violario et codd. Suidae minoris auctoritatis post vv. *περὶ τȣ̃ ὦναξ· περὶ στιγμῆς· καί ἄλλα.* legimus: *ἐφ' ᾗ πραγματείᾳ σκωπτόμενος πρός τινων Στιγματίας ἐκαλεῖτο· ȣ̓ γὰρ δήπȣ ὡς δȣ̃λος ȣ̔́τως ἐσκώπτετο.* Quae verba cum post voces *καὶ ἄλλα*, quibus plurimae vitae concludantur, sint collocata cumque in optimis libris A et V praetermittantur et in lib. *E* solum ad marginem adscripta sint, sine ulla dubitatione subditicia sunt ducenda: proinde putandum est ab Eudocia non fontem Suidae, sed corruptum lexici ejus exemplar esse usurpatum.

Deinde vero simile exemplum, quo nullum magis perspicuum atque clarius esse potest, alius locus praebet. In prioribus Suidae libris typis excussis s. vv. *Σωπάτηρ* et *Σωσικλῆς* verba habentur *Σωσιφάνης· ὁμοίως κύριον* (antecedit *Σῶσις· ὄνομα κύριον*). *Σωσικλῆς Συρακȣ́σιος τραγικός κ. τ. ἀ.* Eadem in cod. *E.* inveniuntur; in violario autem verbis *Σωσιφάνης· ὁμοίως κύριον* neglectis solum *Σωσικλῆς Συρ. τραγ. κ. τ. α.* Sed litterarum ordo illis in libris violatus iterum demonstrat corrupta esse verba *Σωσιφάνης· ὁ. κ.· Σωσικλῆς· Συρακȣ́σιος τραγικός . . .*, quod ita esse trium codd. Parisin. auctoritate probatur, ubi illorum verborum loco legitur: *Σωσιφάνης Σωσικλέȣς Συρακȣ́σιος τρ. . . .*, quae, si quid video, germana est Suidae scriptura. Quomodo autem vulgaris scriptura sit orta, cod. Vossianus declarat, in quo haec verba habentur: *Σωσιφάνης ὄνομα κύριον υἱὸς Σωσικλέȣς.* Verbis enim *ὄνομα κύριον* ex antecedente glossemate *Σῶσις ὄνομα κύριον* inter voces *Σωσιφάνης Σωσικλέȣς* quasi delapsis casus genitivus *Σωσικλέȣς* in nominativum *Σωσικλῆς* mutatus est. His autem dictis, quis est, qui non intellegat Eudociam iterum Suidae librum aliquem corruptum descripsisse?

Similia praeter haec invenimus s. v. *Διογενειανός* Eud. p. 133. Suid. s. v. Hujus enim libri summae auctoritatis A et V duos articulos, ut videtur, de uno eodemque Diogeniano praebent, quos ceteri libri et Eudocia in unum non indocte contraxerunt: *Διογενειανός, Ἡρακλείας Πόντȣ, γραμματικὸς [γεγονὼς αὐτὸς] ἐπὶ Ἀδριανȣ̃ βασιλέως;* Eudocia Suidae verba commutans pergit ita *ἢ ἐκ τῆς Ἀλβάκης Ἡρακλείας τῆς ἐν Καρίᾳ, κατὰ Λυσίμαχον*, cujus loci voces „*κατὰ Λυσίμαχον*", quae apud Suidam non exstant, nescio unde hauserit. Etiam in sequentibus haec cum deterioribus libris illius facit scriptura *λέξεις παντοδαπαί*, pro qua in libris melioris notae *λέξις παντοδαπή* legitur. S. v. *Ἱεροκλῆς* denique in vetustioribus editionibus post vv. *τῶν Πυθαγορείων* sequebantur *καὶ περὶ προνοίας ἐν ἑτέροις βιβλίοις συχνοῖς* et eadem in violario habentur. Cum autem his in verbis consecutio antecedentium verborum turbetur, praeferenda est scriptura meliorum librorum B. V. E., quae haec est: *καὶ ἑτέρων βιβλίων περὶ προνοίας συχνῶν.* His vero praemissis satis mihi esse videtur, si paucis verbis praeterea admoneam Eudociam sexcentis aliis locis cum Suidae libris minoris auctoritatis scripturis suis congruere, ut s. v. *Ἀγάπιος* Eud. p. 35, Suid. s. v.; *Αὔγȣστος Καῖσαρ* Eud. p. 55; *Ἑλλάνικος* Eud. p. 163; *Εὔμολπος* Eud. p. 167; *Θεόφραστος* Eud. p. 229; *Θεόπομπος* Eud. p. 230; *Θέων Οὐαλέριος* Eud. p. 231; *Ἱπποκράτης* Eud. p. 246 cet. cet., conf. Bernhard. l. c. I. 5. p. XXXIII.

In tanta autem multitudine exemplorum, quae probant Eudociam Suidae librum aliquem corruptum secutam esse, fieri non potest, ut putemus ex alio fonte excerpta illius fluxisse, quam ex exemplari aliquo lexici a Suida conscripti. Cum autem quod Eudociae nullas narrationes mythicas e Suidae lexico descripsit nec nunquam locis, quibus Suidas aliis scriptoribus ducibus maxime Athenaeo interpolatus est, caret, huic nostrae sententiae repugnare videatur, quaerendum est, quomodo diversae et, ut videntur, inter se discrepantes rationes, quae inter Suidae lexicon et violarium Eudociae intercedere invenimus, sint conciliandae? Quam ad rem mihi utilissimum esse videtur, si, quaecunque ad hanc quaestionem spectare vidimus, breviter comprehensa hic repetimus. — Primum igitur in memoriam revocandum est excerpta Eudociana nonnunquam additamentis esse aucta, quae in Suidae lexico nobis non occurrunt, quae tamen pleraque ab ipsa femina, quae violarium scripsit, vel a lectoribus hujus libri addi potuisse certis argumentis demonstravimus.

Deinde vidimus illam in conscribendis narrationibus fabularibus Suidae libro non esse usam.

Tum nobis statuendum fuit eam nonnunquam accessionibus posterioribus caruisse, quibus Suidae libros studium diligentiaque lectorum studiosorum locupletavit.

Tum multis exemplis ostendimus excerpta Eudociana e fonte aliquo fluxisse eodem modo instituto, ut Suidae lexicon, i. e. litterarum ordine antistoichico.

Denique vero intelleximus haec excerpta maxima ex parte cum deterioribus Suidae libris, unde primae ejus editiones sint factae, scripturis suis congruere atque tam arto propinquitatis vinculo esse conjuncta, ut haec res sola possit nos docere illa ex aliquo exemplari Suidae lexici esse orta.

Hae autem diversae rationes ea via nobis inter se conciliandae esse videntur, ut statuamus:

1. Excerpta Eudociana, quae cum Suidae vitis congruant, *ex exemplari lexici ab hoc compositi* neque ex Onomatologo Hesychii Milesii aut ex epitome hujus libri esse profecta.

2. Vitas e Suidae thesauro depromptas Eudociam nonnunquam aliis e fontibus velut e Laertio Diogene, Philostrato, interpretibus scriptorum a Gregorio Nazianzeno compositorum aliisque *locupletare et suo judicio emendare* esse conatam: itemque violarium ipsum ab hominibus doctis interdum esse interpolatum.

3. Eudociam *non sua manu* Suidam exscripsisse, sed aut *epitome* vitarum veterum scriptorum ex illius lexico jam ante, quam violarium erat conscriptum, facta esse usam, aut *administros* in colligenda violarii materia habuisse, quorum unus Suidae librum eo consilio perlegere jussus sit, ut inde vitas scriptorum excerperet. Quae si recte conjectata sunt, facile est ad explicandum, quare illa in narrationibus, quae ad mythologiam pertinent, componendis hunc non sit secuta: neque puto me nimiae audaciae incusandum esse, quod contendam Eudociam, quam imperatricem, non monacham librum suum composuisse habemus compertum, non propria opera diligentiaque totam vasti illius scripti materiam collegisse et conscripsisse.

4. Exemplar illud Suidae lexici, unde illius excerpta sunt deducta, ejus generis fuisse, ut plurimis locis iisdem vitiis laboraret atque vulgares hujus lexici libri, interdum tamen *additamentis a lectoribus doctis additis vacaret*, quibus Suidae libri nobis servati magnopere abundant.

